LUCERNA PROPHETICA SIVÈ ORACOLA PROPHETARUM, QUIBUS OMNIS...

Giulio Antonio Maria Roboredo

Digitized by Google

2. 3. 304.

2

[illegible]

Digitized by Google

Ex legato D: Equitis Io:

Francisci Marinij

Digitized by Google

LUCERNA PROPHETICA

Sivè Oracula Prophetarum, quibus omnis diſciplina illuſtratur.

Illa nunc, quæ ex prioribus Iſaiæ Capitibus eruuntur, variis lectionibus propoſita

A PATRE MAGISTRO

JULIO ANT. MARIA

ROBOREDO

ORDINIS SERVORUM B. M. V.

In univerſitate Florentinâ Sacræ Scripturæ, & controverſiarum Profeſſore.

LUCÆ, MDCCXV.

Ad Inſtantiam Dominici Ambroſii Verdi.

SUPERIORUM PERMISSU.

All' Ill.mo Sig. Cav.re Anton Fran.co Manni

L'Autore

Digitized by Google

Digitized by Google

SEDI SAPIENTIÆ,

VIRGINI AB ANGELO SALUTATÆ,

MATRI DEI,

Poſt partum Virgini, Reginæ Prophetarum

LUCERNAM PROPHETICAM,

Cor, & Calamum

F. JULIUS ANT. MARIA ROBOREDO

Vot. Perſol.

Digitized by Google

Digitized by Google

SACRARUM
Litterarum Studioſis.

S*Apientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit.* Habemus quocumque humano eloquio *firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes tamquàm Lucernæ ardenti in caliginoſo loco, donèc eluceſcat dies, & lucifer oriatur in cordibus veſtris*. Quantùm autèm Prophetarum oraculis omnes diſciplinæ illuſtrentur, inficiari nemo poterit, qui in antiquorum Patrum lectione, ſacràque eruditione fuerit verſatus. *Quis Poetarum, quis Sophiſtarum*, inquit Tertullianus in Apolog. Cap. 47. *qui non de Prophetarum fonte potaverit. Indè igitùr & Philoſophi ſitim ingenii ſui rigaverunt;* Juſtinus Martyr Apolog. II. *atquè omnia, quæ de animæ immortalitate, aùt ſuppliciis poſt mortem, aùt cæleſtium rerum contemplatione, aùt ſimilibus doctrinis, & Philoſophi, & Poetæ dixerunt, à Prophetis argumento ſumpto, & intelligere ea, & exponerè potuerunt*. Hanc veritatem ſæpiùs repetunt Euſebius in Præparatione Evàngelica, Clemens Alexandrinus in lib. Strogmatum, qui apertè oſtendunt, quanta ex Moyſe, atquè ex Prophetarum ora-

oraculis veteres deſumpſerint. Doctiſſimus quoquè Præſul Huetius in ſuâ demonſtratione Evangelicâ ex Moſaycis iiſdem libris ortam Phænicum Theologiam, conſtantèr propugnat, nequè in diſſimili argumento laborarunt Samuel Bocchartus in Geographiâ Sacrâ, & Gerardus Voſſius in Theologiâ gentili, Natalis Alexandri in hiſtoriâ veteris teſtamenti tomo 2. propoſitione 2. Nos utilitati legentium providentes oracula prophetica proponimus, & ea cæteris anteponenda ducimus, quæ ex Iſaiâ eruuntur, *quod*, ut inquit Hjeronymus ad Paulam, & Euſtochium in præfatione Iſaiæ, *in ſermone ſuo diſertus ſit, quippè ut vir nobilis, & urbanæ eloquentiæ, nec habens quidquam in eloquio ruſticitatis admixtum; deindè etiàm hoc adiiciendum, quod non tàm Propheta dicendus ſit, quàm Evangeliſta. Ità enim univerſa Chriſti, Eccleſiæque myſteria ad liquidum proſecutus eſt, ut non putes eum de futuro vaticinari, ſed de præteritis hiſtoriam texere.* Priora capita Iſaiæ in hoc volumine explananda ſuſcepimus, quià hæc ad cætera intelligenda facilem, atquè amplam viam aperient; ſunt enìm ità diſpoſita, ut antecedentia cum ſubſequentibus coniungantur. Deprehendetis etiàm, nos in eorum verſuum expoſitione exerceri, quos aùt omiſerunt, aùt breviſſimè tractarunt interpretes, & qui non tantùm lucem afferre poſſunt Sacrarum Litterarum Studioſis, ſed aliarum quoquè diſciplinarum Profeſſoribus. Pauca nùnc exhibemus, ſed utilia, & quæ

Digitized by Google

quæ apùd viros ſacrà, humanàque eruditione præſtantes aliquam gratiam invenerunt. In progreſſu autèm totius operis in litterali, tropologicàque expoſitione adducentur phraſes, adagia ſcripturæ, veterum conſuetudines, & multa explicabuntur de geographià ſacrà, de antiquorum veſtitu, de ſacrificiorum ritibus, de plantis, herbis, gemmis, mætallis, cæteriſque ad ſacram eruditionem ordinatis. Si fortaſsè liber iſte pervenerit ad eorum manus, qui faciles ſunt in reprobandis aliorum laboribus, nèc ex intellectu, ſed ex voluntate judicant, eos cum divo Hjeronymo admonemus loco citato videlicèt, quod *legant prius, & poſteà deſpiciant: nè videantur non ex judicio, ſed ex odii præſumptione ignorata damnare.*

Ap.

Approbationes Ordinis.

DE mandato Reverendiſs. Patris Magiſtri Antonii Mariæ Caſtelli Prioris Generalis totius Ordinis noſtri vidi, & eximià animi voluptate perlegi opus, cui Titulus *Lucerna Prophetica, ſivè oracula Prophetarum, quibus omnis diſciplina illuſtratur*, ab Ad. R. Patre Magiſtro Julio Antonio Maria Roboredo, ejuſdem Ordinis noſtri in Univerſitate Florentinà Sacræ Scripturæ, & Controverſiarum Profeſſore ſummo ſtudio elucubratum, & ſingula in eo reperi Catholicæ fidei, ac bonis moribus conſona; quin etiàm Sacræ Theologiæ, divinarumque Scripturarum Studioſis perutile illud exiſtimo ob ſingularem earumdem explanationem, & omnigenam eruditionem, ac propterea in lucem omninò edendum.

Datum Florentiæ in Conventu noſtro SS. Annnunciatæ die 17. Julii 1714.

F. Aloyſius Maria Garbi Ordinis Servorum B. M. Virg. Sacræ Theologiæ in Univerſitate Piſana Profeſſor.

REVERENDISSIME PATER GENERALIS.

LIbrum manuſcriptum, cui Titulus eſt *Lucerna Prophetica &c.* Sacrà, concinnàque eruditione refertum de mandato P. V. Reverendiſsimæ attentè perluſtravi, & ipſius Authoris Ad. R. Patris Magiſtri Julii Antonii Roboredo noſtri Ordinis, & publici Sacræ Scripturæ, & controverſiarum Lectoris profunditatem demiratus, quamplurimùm utilitati Profeſſorum, ac Diſcipulorum pietati, ſi typis mandetur, profuturum cenſeo.

E Conventu SS. Annunciatæ de Florentià die 17. Julii 1714.

Humil., & Obſequ. Subditus F. Placidus Maria Bonfrizieri Servita Sacræ Theologiæ Doctor.

Fra-

Digitized by Google

Frater Antonius Maria Caſtelli Sacræ Theologiæ humilis Profeſſor, Sacræ Romanæ Inquiſitionis Qualificator, ac totius Ordinis Servorum B. M. Virginis Prior Generalis.

CUM Librum, cui Titulus *Lucerna Prophetica* ab Ad. R. Patre Julio Antonio Maria Roboredo Ordinis noſtri Sacræ Theologiæ Magiſtro, & in Gymnaſio Florentino publico Profeſſore compoſitum, aliqui ex noſtris Theologis, quibus id commiſimus, recognoverint, & in lucem edi poſſe judicaverint, nos officii noſtri authoritate, ut typis mandetur, præſentium tenore licentiam concedimus, ſervatis ſervandis, cujus rei gratiâ præſentes manu noſtrâ ſubſcriptas, & minori officii noſtri ſigillo munitas dedimus.

Romæ in Conventu noſtro S. Marcelli die 28. Julii 1714.

Loco ✠ Sigilli.

F. Antonius Maria Generalis.

Reg. Lib. 1. Fol. 5.

F. Soſteneus Maria Cavalli Secretarius Ordinis.

JUſſu Illuſtriſs., ac Reverendiſs. D. Octavii Sardi Vicarii Generalis Illuſtriſs., ac Reverendiſs. D. D. Genneſii Calchi Epiſcopi Lucani præſens opus conſideravi à Rev. Adm. P. Magiſtro Julio Antonio Maria Roboredo Ordinis Servorum B. M. V. elaboratum, cui Titulus: *Lucerna Prophetica, ſivè Oracula Prophetarum &c.* vix autèm à limine volumen ſalutaveram, cùm protinùs eloquentiæ ſuavitatem, in difficilium explicatione facilitatem, pro illuſtrandis mentibus ſactam ſimùl, & prophanam, dùm opus erat, eruditionem ſim admiratus, ùt protinùs cenſoriam virgam de manibus arreptam conſpexerim, nihilque vel minimum correctione dignum reperiendum ſim auſpicatus: Et ſicùt non leve, ſed graviſſimum hàc de re fundamentum antè oculos verſabatur, quid mirum ſi mè non mea fefellit opinio, imò potiùs proùt cogitabam evenit mihi? Unum tamèn, non dicam errorem, ſed defectum conſpexiſſe circà finem confiteor, brevitatem videlicèt operis præfixum terminum non attingentis: hunc expurget Doctiſſimus Auctor incœptam materiam felicitèr proſequendo, ùt Lucerna hæc Pro-

Digitized by Google

Prophetica totis luceat ex partibus pro omnium utilitate, qui in caliginoſo fidei loco adhùc verſantur, donèc eluceſcat dies ſempiternus æternitatis. Prodeat ergò in lucem hoc, quod auſpicabor, operis initium, ſi ità videbitur, &c.

F. Stephanus Maria Manſi Ord. Præd. Sac. Theologiæ Profeſſor

DE mandato Illuſtriſsimi, ac Reverendiſſimi D. Octàvii Archidiaconi Sardi Illuſtriſsimi, ac Reverendiſsimi D. D. Genneſii Calchi Epiſcopi Lucani, vidi Librum, cujus Titulus *Lucerna Profetica* in Iſaiam Auctore Rev. Adm. Patre Magiſtro Antonio Maria Roboredo Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis: Et cum verè ſit Lucerna ardens in caliginoſo loco, ut in diem luceſcant Divina Myſteria, & qui legit intelligat verba Prophetiæ hujus, & ſervet ea quæ ſcripta ſunt: Ideò ut non ſub modio poſita, ſed ſuper Candelabrum luceat omnibus, & videant à ſæculis abſcondita, Publicis Typis demandari perutilè adjudico.

F. Dominicus Bianchi Carmel. Congr. Mant.

Imprimatur.

OCTAVIUS ARCHID. SARDI VIC. GEN.

LELIUS MANSI PRO ILLUSTRISS. OFFICIO JURISDITIONIS PRÆP.

ERRA-

Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 3. parientem	parietem
Pag. 12. fictæquæ	fictæque
Pag. 14. hominínibus	hominibus
Pag. 23. & itineris	ut itineris
Pag. 52. interpetres	interpretes
Pag. 56. noverat enim	noverant enim
Pag. 59. Zacchariæ Cap. 7.	Zacchariæ Cap. 5. verſu 7.
Pag. 63. eum malitia	cum malitia
Pag. 66. pſalmo 2.	pſalmo 14.
Pag. 70. & requies eſt	& requieſcet
Pag. 72. ad Jeruſalem	ad cor Jeruſalem
ibidem accepit de manu	ſuſcepit de manu
Pag. 75. cum fæta	cum fætu
Pag. 76. Oſeas	Oſee
Pag. 81. uudè	undè
Pag. 87. exiccatione	exſiccatione
Pag. 90. Joan. 21. ut credentes vitam habeatis in nomine Jeſu.	Joannis 20. ut credentes vitam habeatis in nomine ejus
Pag. 95. egiritis	egeritis
Pag. 103. Phutipharis	Putipharis
Pag. 109. Judeorum	Judæorum
Pag. 110. agumenti	argumenti
Pag. 113. inrerpoſitas	interpoſitas
ibidem Curiſti	Chriſti
Pag. 119. deſervit	deſervit
Pag. 123. ommia	omnia
Pag. 129. conducunt	conducit
ibidem de Jeſus mirari	Jeſus mirari
Pag. 135. erudeliſſimæ	crudeliſſimæ
Pag. 136. profuſurus	fuſurus
Pag. 140. noverat	non erat
Pag. 141. hic accedit	his accedit
Pag. 143. ut poſſit homo	ut poſſet homo
ididem quanta fuerit	quanta fuerat.
Pag. 145. Secnndus	Secundus

Pag. 149.

Pag. 149. tum	tam
Pag. 153. & qua	ex qua
ibidem aliis	alii
Pag. 157. prætioſus	pretioſus
Pag. 160. reliquerunt	dereliquerunt
Pag. 161. ermergere	emergere
Pag. 165. ſi adhuc cum	cum adhuc
Pag. 166. in interiori homine	in interiorem hominem

Pag. 167. Verba divi Bernardi non erant imprimenda diverſo caractere; eſt enim idem ſenſus, ſed non idem contextus.

Pag. 174. nec alapas cepi	nec alapas accepi
ibidem in pauperibus tu	in pauperibus tuis tu
Pag. 176. qui nihil	cur nihil
Pag. 177. qui præcepta	qui medici præcepta
Pag. 181. pinguim	pinguium
Pag. 199. ſubruit æmulos	ſubivit æmulos
Pag. 207. Theſophia	Theoſophia
Pag. 218. inſuper illi, cum	inſuper illi, cui
Pag. 241. Acab	Achab
Pag. 243. verſu 19.	verſu 29.
ibidem conſecratis	conſecraſtis
Pag. 251. cohæreant	cohæreant
Pag. 260. fræmit	fremit
Pag. 266. laudabaut	laudabant
Pag. 295. quam deforme autem facere	quam deforme autem eſt virum facere
Pag. 299. maledictis ſceptris ejus uſque ad collum.	denudaſti fundamentum ejus uſque ad collum; maledixiſti ſceptris ejus.
Pag. 305. petuleos	petulcos
Pag. 312. Decanira	Deianira
Pag. 315. ad capita	Capita
Pag. 319. ablutione	ablutiones
Pag. 326. Theodoſio	Theodoction
Pag. 329. trecentorum	tercentorum
Pag. 330. Littera O	Littera O tita

Cætera Lector emendet.

Digitized by Google

IN ISAIÆ CAPUT PRIMUM

verſ. 1.

VISIO

LECTIO I.

I. PRophetæ Videntes appellabantur. II. Quid ſit Revelatio, Prophetia, Apparitio, Somnium, Oraculum, Inſpiratio. Raptus, Extaſis. III. Quatuor ſunt modi, quibus extaſis ſolet accidere. IV. Viſio Corporalis; Imaginaria, Intellectualis, & Symbolica. V. Exempla viſionis Symbolicæ ex Sacris litteris deſumpta. VI. Iſaias cur dictis ſuis appoſuerit hanc vocem Viſio. VII Prophetiam eſſe donum Dei, Sacris teſtimoniis, & veterum aſſertione oſtenditur. VIII. Sapientèr ſe gerit Eccleſia, dum prohibet, fidem adhiberi viſionibus, & Prophetiis à ſe non approbatis. IX. uſquè ad XIII. Regulæ, quibus probari poſſunt viſiones, & revelationes. XIV. Non poteſt negari, extare in Eccleſià Catholcà Spiritum Prophetiæ, & multis exemplis aſſeritur. XV. Joannes cur appellatus pluſquàm Propheta. XVI. Cur Joannes intèr Prophetas nume-

randus, cum Chriſtum viderit præſentem. XVII. *Explicantur verba Matthæi Cap.* 11. *verſ.* 13. *ubi lex, & Prophetia dicuntur duraſſe uſque ad Joannem*.

I. Sanctiſſimi illi viri, qui divino ſpiritu afflati futura prædicebant, cœleſtia Sacramenta Deo jubente revelabant, communi vocabulo *Videntes* appellabantur. Nam, ut 1. regum Cap. 9. verſ 9. & 10. legimus: *olim in Iſrael ſic loquebatur unuſquiſque vadens conſulere Deum. Venite, & eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodiè, vocabatur olim Videns*. Frequens eſt iſtius vocabuli uſus in Sacris litteris; & hinc ut Ezechielis 1. dicitur: *aperti ſunt Cœli, & vidi viſiones*. Joelis 2. *Juvenes veſtri viſiones videbunt*.

II. Cum autem, ut inquit Apoſtolus ad Hebræos Cap. 1. *multifariam, multiſque modis olim Deus loquutus ſit Patribus*, ex variatione modorum, quibus ſeſe incommutabilis illa veritas manifeſtat, variam quoque ſolent divinæ revelationes, ſive viſiones etymologiam ſortiri. Vel enim aliquid indicant, quod priùs erat occultum, & ſic *Revelationes* nuncupantur, quo in ſenſu intelligitur illud Eccleſiaſtici Cap. 42. verſ. 1. *de revelatione ſermonis abſconditi*: & Lucæ Cap. 2. verſ. 31. *lumen ad revelationem gentium*: Danielis 2. verſ. 22. *Ipſe revelat profunda, & abſcondita*: Lucæ 10. verſ. 21. *abſcondiſti hæc à prudentibus, & ſapientibus, & revelaſti ea parvulis*. Vel ſer-

ſermo eſt de rebus futuris, & ſic *Prophetia* dicitur: undè Ezechielis Cap. 12. verſ. 27. *Viſio, quam hic videt in dies multos, & in tempora longa iſte prophetat.* Sic pariter 1. Petri Cap. 1. verſ. 10. legimus: *de qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt.* Si verò perſona aliqua appareat, ſive per ſe, ſive per ſenſibilia ſigna, dicitur *Apparitio*: Sic Judicum Cap. 13. verſ. 3. *Manue apparuit Angelus Domini*: Danielis 5. verſ. 5. in convivio Balthaſaris *Apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contrà parientem*: Machabæorum lib. 2. Cap. 3. verſ. 25., & 26 ad puniendum Eliodorum *Apparuit equus terribilem habens ſeſſorem, & duo juvenes virtute decori*. Quæ quidem apparitiones, ſi dormientibus fiant, *ſomnia* dicuntur, de quibus Joelis Cap. 2. Cum autem in ipſis apparitionibus docetur, quid agendum, quid omittendum, aut fugiendum, tunc ſolent etiam *Oracula* nuncupari: Sic Numerorum 7. verſ. 89. *Ingrediebatur Moyſes tabernaculum fœderis, ut conſuleret Oraculum*: Ezechielis Cap. 21. verſ. 13. de rege Babylonis in bivio poſito legitur: *eritque quaſi conſulens fruſtrà Oraculum.* Cum autem ad effectum ſpirituales potentiæ excitantur, tunc nominatur *Inſpiratio*, ut Job. Cap. 32. verſ. 8. *Inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam*; & Actorùm 17. verſ. 25. de Deo dicitur *quod ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem*. Solet etiam aliquando divina virtute a ſenſibus ſpiritus hominis diſtrahi, atque

Digitized by Google

in altiſſimam contemplationem elevari, & tunc iſte modus appellatur *Raptus*. *Extaſis* verò, cum ſenſus externi ità derelinquuntur, ut operationes exercere non poſſint, nec excitari per externa obiecta. Videatur Divus Iſidorus lib. 7. Etymologiarum Cap. 8. Svarez de virtute, & ſtatu religionis lib. 2. de oratione Cap. 15.

III. Extaſim quatuor modis contingere poſſe inter alios obſervat Lorinus in Caput decimum actuum Apoſtolorum verſ. 10. Primò ex inſania, ſive delirio; Qui quidem modus furor potius dicendus eſt, quam extaſis; quamvis Gentiles divinos ſuos cœleſti quodam furore corripi teſtarentur: & hinc de Sibilla 6. Æneidos cecinit Virgilius

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum.

Secundò ſolet extaſis accidere, aut ex nimio ſtupore, aut pavore: ſic in actibus Apoſtolorum Cap. 3. verſ. 10. cum claudum a nativitate in Nomine Jeſu Nazareni ſanaviſſet Petrus, qui, cum omni ſublato impedimento ambulantem viderunt, *impleti ſunt ſtupore, & extaſi in eo, quod contigerat illi.* Sic exodi 15. verſ. 15., & 16. *Tunc conturbati ſunt Principes Edom robuſtos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan irruat ſuper eos formido, & pavor in magnitudine brachii tui, fiant immobiles quaſi lapis, donec pertranſeat Populus tuus Domine.* Tertiò fit

ſit extaſis ex ſumma animi tranquillitate, cum ipſe expeditus a quacumque ſenſuum exteriorum moleſtia, & officio, in placida, ac jucundiſſima converſatione verſatur. Sic Geneſis Cap. 2. *Immiſit Deus ſoporem in Adam*. Quartò denique accidere ſolet Extaſis, quandò mens divino ſpiritu corripitur, & hoc Prophetis propriè contingit.

IV. Sed ut ea, quæ de viſionibus explicare aggredimur, ad breve compendium reducantur, nec in hujus rei tractatione fuſiùs, quàm par eſt, immoremur; ſciendum eſt, quod viſio dividi poteſt in Corporalem, Imaginariam, & Intellectualem juxtà ſacros interpretres, quibus ſpeciebus quartam nos explicationis gratià ſuperaddimus, nempè Symbolicam. Viſio Corporalis eſt, quandò in corpore aſſumpto vel Deus, vel aliquis ſpiritus ſeſe hominibus repræſentat. Hujus generis fuit apparitio facta Adamo Geneſis 3., Caino Geneſis 4., Noe Geneſis 6., Agar Geneſis 16., Abrahamo Geneſis 18., Loth. Geneſis 19., Jacob Geneſis 32., Moyſi Exodi 3. in Rubo; Exodi 20. in ſina; Gedeoni Judicum 6., Manue Judicum 13. Hæc viſio, ſive apparitio ſolet etiam ab auctoribus *vocalis* appellari, cùm non perſona videtur, ſed vox tantummodò auditur: ſic Iſraelitæ vocem audiebant dantis ſibi legem Exodi 20., & Deutoronomii 5., ſic Numerorum Cap. 7. Moyſes audiebat vocem loquentis Dei ad ſe de Propitiatorio: ſic pariter 1. regum Cap. 3. voca-

Digitized by Google

vocatus fuit Samuel ità, ut ter arbitraretur illam fuiſſe vocem Heli Sacerdotis. Imaginaria viſio eſt, quandò vel in ſomnis, vel in vigilia quædam rerum imagines concipiuntur, & illorum poſteà ſenſus innoteſcit. Hùc pertinent, quæ leguntur Numerorum Cap. 12. *Siquis Propheta Domini eſt inter vos, apparebo ei in viſione, aut per ſomnium loquar ad eum*. Hùc quoque pertinent viſiones, & revelationes factæ Joſepho Geneſis 37., & illæ, quas narrat Zacharias Propheta Cap. 1., & 6., & quæ habentur Danielis Cap. 2. Viſio autem Intellectualis eſt, cum ipſe intellectus elevatur, vel ad futura cognoſcenda, vel ad explicanda occulta, ſecretaque myſteria, quà nihil eſt, quod frequentius in Sacris litteris nobis occurrat, cum ſit Prophetarum propria, & quæ maximum, ac ſingulare privilegium a divina beneficentia collatum nobis indicet, ut infrà demonſtrabitur.

V. Accedamus nunc ad viſionem, ſive prophetiam per Symbola, cum Deus, qui ora Prophetarum aperiebat, ipſos aliquandò juſſerit quibuſdam Symbolis, atque figuris futuros eventus, & res occultiſſimas revelare; ſic Ahias Silonites, ut 3. regum Cap. 11. verſ. 30 expreſſum eſt, ſciſſo in duodecim partes novo pallio juſſit, ut Jeroboam decem ſibi colligeret; hoc facto indicans ſciſſuram regni Salomonici, cujus decem tribus ipſum Jeroboamum in regem erant proclamaturæ. Sic 3. regum

gum Cap. 22. verſ. 11. cum Sedecias vellet commovere Judæos ad expugnandam Syriam, *fecit ſibi cornua ferrea; & ait: hæc dicit Dominus: his ventilabis Syriam, donec deleas eam*. Sic ut legimus Ezechielis Cap. 4. idem Ezechiel Deo jubente ter centis, & nonaginta diebus ſuper ſiniſtrum latus jacuit, edens panem ſtercori admixtum, ut ſignificaret futuram urbis Jeruſalem obſidionem, & crudeliſſimam famem, quam illius habitatores erant perpeſſuri: Cap. vero 5. verſ. 1. imminentes calamitates denunciavit per capillorum, & barbæ raſuram. Sic 4. regum Cap. 13. iterato ſagittarum jactu prænunciavit Eliſæus Joaſo Iſraelitarum regi inſignes victorias de Syria reportandas. Sic Iſaiæ Cap. 20. verſ. 2. & ſeqq. *in tempore illo loquutus eſt Dominus in manu Iſaiæ filii Amos, dicens: Vade, & ſolve ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis, & fecit ſic vadens nudus, & diſcalceatus, & dixit Dominus. Sicut ambulavit ſervus meus Iſaias, nudus, & diſcalceatus, trium annorum ſignum, & portentum erit ſuper Ægyptum, & ſuper Æthiopiam. Sic minabit rex Aſſiriorum captivitatem Ægypti, & tranſmigrationem Æthiopiæ juvenem, & ſenem nudam, & diſcalceatam diſcoopertis natibus ad ignominiam Ægypti*. Sic Jeremias, ut legimus Cap. 27. ſuæ prophetiæ; pendentes è collo catenas deferens, Babylonicam captivitatem prædixit, & Cap. 12. Ezechielis verſ. 3. admirabile illud ſignum, quo Deus eumdem Ezechielem uti juſſit ad ſignifican-

dam

Digitized by Google

dam urbis Jeruſalem obſidionem, populi captivitatem, regis Sedeciæ violentam cæcitatem, ac miſerrimam ſervitutem ſub rege Babilonis; ſic enim legimus: *Tu ergo fili hominis fac tibi vaſa tranſmigrationis, & tranſmigrabis per diem coram eis. Tranſmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum in conſpectu eorum, ſi fortè aſpiciant, quia domus exaſperans eſt. Et efferes foràs vaſa tua, quaſi vaſa tranſmigrantis per diem in conſpectu eorum. Tu autem egredieris veſperè coram eis, ſicut egreditur migrans. Ante oculos eorum perfode tibi parietem, & egredieris per eum. In conſpectu eorum in humeris portaberis, in caligine efferreris, faciem tuam velabis, & non videbis terram, quia portentum dedi te domui Iſrael.*

VI. Cur autem Propheta dictis ſuis viſionis nomen appoſuerit, & incœperit (Viſio Iſaiæ), ex eo deducere poſſumus, quod ſicut inter cæteros ſenſus noſtros evidentia viſioni ſolet attribui, ita ad indicandam enarratarum rerum certitudinem in ſummâ Dei loquentis authoritate fundatam ſolet ipſa prophetia viſio appellari: certum enim eſt, atque infallibile quidquid per Prophetas ſuos Deus revelat, & ſummam fidem promæretur Deus, cum loquitur, & quià eſt ſummè ſapiens, & quià eſt ſummè verax, talis videlicet, ut nec fallatur, dum cognoſcit, nec fallat, dum loquitur. Viſio etiam dicitur, quia intellectus propheticus illuſtratur divino lumine ad manifeſtanda occulta, ad annuncianda futura.

VII. Pro-

Digitized by Google

VII. Prophetiam autem eſſe donum Dei, quod ſummam erga homines ſuæ divinæ majeſtatis beneficentiam commendat, ipſa Sacra eloquia teſtantur. Nam Iſaiæ Cap. 41. legimus: *annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quod Dii eſtis vos*: & Deuteronomii 28. *quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit: hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit*. Hinc Tertullianus in ſui Apologetici Cap. 20. *idoneum*, inquit, *teſtimonium Divinitati veritas divinationis*: & Hieronymus in Danielem: *Confitentur Magi, confitentur Arioli, & omnis ſcientia litteraturæ ſæcularis, præſcientiam futurorum non eſſe hominum, ſed Dei*. Ex quo probatur, Prophetas Dei ſpiritu loquutos, quia futura cecinerunt. Hanc eamdem veritatem naturalis ratio ſuadet, nam ſi, ut inquit Ovidius 1. Triſtium Elegia 8.

Augurium eſt ratio, & conjectura futuri:

Multò magis ipſa prophetia, in qua de rebus venturis ſermo eſt: ad hoc autem, ut intellectus humanus aliquid naturali lumine decernat, debet vel ſenſuum experientià, vel memorià præteriti, vel evidentià præſentis adjuvari: Cum verò futura non cadant ſub ſenſu, non fuerint, non ſint, ſed erunt, ſi verè attinguntur, non humano ingenio, non viribus, non induſtriæ, ſed altiſſimæ ſapientiæ poteſtati attribuendum eſt. Hinc Gentiles ipſi cognoverunt, quàm eſſent ab humanis ſenſibus, & cognitione remotæ

res futuræ. Nam Horatius lib. 3. ode 29. cecinit.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus.

Juvenalis Satyra VI.

Et genus humanum damnat caligo futuri

Statius Thebaidos Lib. III.

quid craſtina volueret ætas
Scirè nefas homini (& paulò poſt)
Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ.

VIII. Cum autem Prophetia donum Dei ſit, jam intelligimus, quàm ſapientèr, ac prudentèr ſe gerat Catholica Eccleſia, dilectiſſima Chriſti Sponſa, ac fideliſſima cuſtos divinarum ſcripturarum, dum viſionibus a ſe non approbatis vetat, fidem a nobis adhiberi, easque tantum Prophetias vult eſſe retinendas, quæ in Sacrarum litterarum Canone recenſentur, & quæ ipſius infallibili judicio maturè diſcutiuntur, & approbantur. Quemadmodùm enim credimus, Deum utpotè naturæ Auctorem, Dominumque univerſi multa loquutum fuiſſe ad regimen ipſius ſpectantia, & ſuæ majeſtatis gloriam ordinata: ità pro certo habemus, illum non omnes homines adhibuiſſe, aut adhibere, ut dicta ſua referant, juſſa promulgent, oracula explicent, quæ in futurum agenda ſunt, revelent, ſed eos tantum, quos altiſſima ſua bonitas tantæ rei miniſtros deputaverit, ac capaces effecerit, ut ipſis ſecreta cœleſtia committantur. Quis enim Rex, aut Princeps omni-

Digitized by Google

omnibus ſuis ſubditis tradit ſigillum? omnes ſuorum conſiliorum participes efficit? Divinitatis ſigillum ſunt miracula, & prodigia, & profundiſſimo ſilentio premuntur cœleſtia myſteria, & quæ antè omne tempus decreta ſunt a Deo, ut ſuo tempore fiant. Donum Dei ſunt Prophetiæ, cœleſteſque viſiones, ſed non omnibus dantur, niſi illis, quorum mentibus ſingulari quodam privilegio æterna veritas illabitur, & quos ſummus Rex gloriæ introduxerit in Cellaria ſua, volens, ut Eccleſia regia Sponſa appareret *in veſtitu deaurato circumdata varietate* Pſalmo 44. Et hinc, ut nos docet Apoſtolus 1. ad Chorinthios Cap. 12. *quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſiâ, primum Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deindè virtutes, exindè gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpetrationes ſermonum; nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes habent gratiam curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpetrantur?* Quà doctrinà nos admonet, cœleſtia dona ſuaviſſimà quadam providentia diſpenſari, nec indiſtinctè omnibus, ſed aliquibus tantùm conferri. Cum divinus ſpiritus admirabili œconomia dividat ſingulis, pro ut vult, non ergò temerè, atque inconſultò omnes revelationes, viſiones, & futurorum prædictiones ſunt admittendæ, cum frequentèr antiquus hoſtis, qui ſub ſerpentis imagine

Digitized by Google

primos homines decepit, ſe transformet in Angelum lucis, & occulto quodam veneno falſæ, fictæque veritatis mentes inficiat. Hoc animadvertens divini pectoris ſecretarius Evangeliſta Joannes, fideles ità admonebat in ſua Epiſtola I. Cap. 4. *Cariſſimi nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.*

IX. Non deſunt autem optimæ regulæ, quibus probari ſpiritus poſſint, ſi ex Deo ſint, & quibus qualitas viſionum, ſive revelationum innoteſcat. Inter quas prima eſt, ut a viris doctrina, & ſanctitate præſtantibus recognoſcantur, diſcutiantur, examinentur, & ab Eccleſia approbentur, nàm ut inquit Apoſtolus I. ad Corinthros Cap. 2. *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei*. Hinc ad Paulum poſt viſionem inſtruendum mittitur Ananias, ut legimus Actorum 9. verſ. 11. Hinc ad Apoſtolorum Principem Cornelius Centurio a Domino dirigitur Actorum 10. verſ. 5. Et denique ad patefacienda divina myſteria, quæ in Iſaiæ vaticiniis continentur, Eunuco Candacis Reginę Æthiopum deputatus eſt Philippus Actorum 8. verſ. 29.

X. Altera eſt, ut diligenter ipſarum viſionum, ſeù revelationum effectus obſerventur, àn videlicèt ille, cui facta dicitur Viſio, humilis ſit, & docilis; hunc enim effectum præſtare debet divina revelatio: nam Lucæ 10. verſ. 21. Chriſtus ait: *abſcondiſti hæc a Sapientibus, & prudentibus, &*

re-

Digitized by Google

revelaſti ea parvulis: hac doctrina excludens a participatione cœleſtium myſteriorum eos ſapientes, & prudentes, qui dicentes, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, qui vanæ ſcientiæ faſtu tumeſcunt, & inflantur; admittens verò parvulos, hoc eſt humiles, qui quaſi modò geniti infantes ſinè dolo rationabile lac concupiſcunt. Undè proverbiorum Cap. 3. habetur: *cum ſimplicibus eſt ſermocinatio Dei*. Proverbiorum pariter Cap. 11. *ubi fuerit ſuperbia, & contumelia ibi erit, ubi autem eſt humilitas, ibi eſt ſapientia*.

XI. Requiritur etiam, ut Viſiones nihil inducant, quod Sacræ Scripturæ teſtimoniis repugnare videatur: Sic Chriſtus Dominus diabolo præcipitium ſuggerenti, & extorquenti in ſenſum alienum verbi Pſalmi 90. *nempè Angelis ſuis mandavit de te &c. in manibus portabunt te*; Statim objecit verba Deuteronomii Cap. 6. *Scriptum eſt enim*: *non tentabis Dominum Deum tuum*, ut narratur Matthæi Cap. 4. verſ. 8. & ſeqq. Quemadmodum & ipſi diabolo omnia regna mundi promittenti, adorationemque petenti, ſtatim oppoſuit verba ejuſdem Deuteronomii Cap. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*.

XII. Neceſſe eſt inſuper, ut in viſionibus, atque revelationibus puritas, atque integritas veritatis interveniat, ut videlicet falſa veris non admiſceantur; Deus enim immutabilis eſt, & ſummè ve-

Digitized by Google

verax, & divina ſua dicta omnem falſitatem, atque mendacium excludant. Ut hæc regula animo altiùs imprimatur, atque aliorum damno vigilantiam diſcamus, legendum eſt attentiſſimè Cap. 5. Geneſis; ubi narratur, quod malignus hoſtis ſub ſpecie ſerpentis mulieri apparens ſuaſit, ut de interdicto pomo veſceretur, & in patrocinium rei propoſitæ hanc falſitatem adduxit: *nequaquam morte moriemini:* quod mendacium ex verbis ſuperioris Cap. 2. refellitur: legimus enim verſ. 17. *in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

XIII. Requiritur denique, ut non de rebus inutilibus, vanis, ac curioſis ſit prophetia, revelatio, & Viſio, ſed de maximis, ampliſſimiſque rebus, ac præcipuè de iis, quæ ad bonum ſpirituale diriguntur: non enim Prophetas ſuos, aut dedit, aut dat benigniſſimus Pater luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, aut viciſſitudinis obumbratio, ut veluti magiſtri prurientes auribus curioſis obſervationibus hominum ſibi benevolentiam conciliarent, ſed ut eos in officio continerent, ut erigerent in ſpem futurorum, & ſub quibuſdam umbris ad lumen veritatis deducerent. Hoc eſt Prophetæ officium, adhortari, & conſolari Dei plebem; nam 1. Corinthiorum Cap. 14. verſ. 3. legimus: *qui prophetat hominibus, loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem:* Et Actorum 15. verſ. 32. *Judas autem, & Silas & ipſi cum eſſent Pro-*

Digitized by Google

Propheta, verbo plurimo conſolati ſunt fratres, *& confirmaverunt*. Hoc autem præſtare non poſſunt Prophetiæ de rebus vanis, & inutilibus, quæ vim non habent, ut homines a malo avertant, & convertant ad Deum.

XIV. Quamvis autem non omnes Prophetæ ſint, ut ex Apoſtolo ſuprà retulimus, nec unicuique aſſerenti, ſe cœleſtes viſiones habuiſſe, credendum temerè ſit, non poteſt tamen negari, extare in Catholica Eccleſia Prophetiæ ſpiritum, quo illa tamquam uno ex cœleſtibus, maximiſque donis ſui Sponſi decoretur, & novum teſtamentum ſuis etiam Prophetis illuſtrari. Sacri enim Interpetres, verba Joelis Cap. 2., docent, eſſe referenda ad tempus Meſſiæ, novæ legis, novique teſtamenti: legimus enim: *effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem*, *& Prophetabunt filii veſtri*, *& filiæ veſtræ*, *ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt*, *& juvenes veſtri viſiones videbunt*. Dona etiam Divini Spiritus effuſa eſſe in fideles in Sacra die Pentecoſtes, narratur Actorum Cap. 2., & Petrus Apoſtolus verſ. 17. ipſo Joelis teſtimonio uſus eſt, ut oſtenderet, tanti prodigii novitatem, quam increduli calumniabantur, & inſano furori tribuebant, non eſſe ebrietatis effectum, ſed omnipotentis dexteræ liberalitatem, promiſſa ſua in beata temporum plenitudine adimplentis. Lucæ 2. verſ. 36. legimus, quod *erat Anna prophetiſſa*. Verſu autem 25. quod *homo erat in Jeruſalem*, *cui nomen*

Simeon, *& homo iſte juſtus*, *& timoratus expectans conſolationem Iſrael*, *& Spiritus Sanctus erat in eo*, *& reſponſum acceperat a Spiritu Sancto*, *non viſurum ſe mortem*, *niſi prius videret Chriſtum Dominum*. Cœleſti viſione, & Angeli apparitione confortatum Zachariam, narratur Lucæ Cap. 1. verſ. 11. Eodem etiam Capite verſ. 41. non tantùm docemur prophetaſſe Eliſabeth, cum repleta eſt Spiritu Sancto, & exclamavit voce magna, & dixit: *benedicta tu inter mulieres*, *& benedictus fructus ventris tui*, *& undè hoc mihi*, *ut veniat Mater Domini mei ad me*: Sed etiam Mariam ſemper Virginem divino ſpiritu afflatam, ex ſuo mirabili cantico deducitur verſ. 47. Zacchariam quoque, qui ut habetur verſ. 67. repletus eſt Spiritu Sancto, & prophetavit dicens: *Benedictus Dominus Deus Iſrael*. Cap. item 21. Actuum Apoſtolorum verſ. 8., & 9. reperitur: *& intrantes domum Philippi Evangeliſtæ*, *qui erat unus de ſeptem*, *manſimus apud eum*: *huic autem erant quatuor filiæ Virgines prophetantes*. Quo in loco notandum eſt, Philippum appellari ideò Evangeliſtam, quià Evangelium promulgabat, utpotè unus ex ſeptem diaconis; filiæ autem dicuntur prophetantes non tantùm, ut alii exponunt, quià invicèm divinas laudes canerent, ſed quia juxtà alios expoſitores de altiſſimis loquerentur, & futura etiam prædicerent; nam *Virginitatis præmium*, ut inquit, Æcumenius, quem hìc citat Tirinus, *eſt Sapientia*, *& Prophetia*. Verſu inſuper

ſuper 10. & ſeqq. exprimitur, quod *ſupervenit quidam à Judæa Propheta, nomine Agabus. Is, cum veniſſet ad nos, tulit zonam Pauli, & alligans ſibi pedes, & manus dixit. Hæc dicit Spiritus Sanctus: Virum, cujus eſt zona hæc, ſic alligabunt in Jeruſalem Judæi, & tradent in manus gentium*. Ubi obſervamus, Agabum non ſolùm vocibus, ſed etiam facto, ſignis, & Symbolis prophetaſſe. Joannem denique Baptiſtam dono prophetiæ fuiſſe inſignitum, Sacræ paginæ pariter docent, & de eo interpetrari debent verba Malachiæ Cap. 3. verſ. 1. *ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam antè faciem meam, & ſtatim veniet ad templum Sanctum tuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis*. Cantico pariter Zachariæ: *& tu puer propheta altiſſimi vocaberis &c.* Marci Cap. 1. verſ. 7. præcipuè autem ipſius Chriſti voce pluſquam Propheta declaratus eſt. Mathei Cap. 11. verſ. 9., & 10. *ſed quid exiſtis videre Prophetam? etiam dico vobis, & pluſquam Prophetam: hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: ecce ego mitto angelum meum antè faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.*

XV. Cur autem pluſquam Propheta Joannes ſit appellatus, elegantiſſimè exponit Sanctus Maximus homilia 3. in nativitate ejuſdem: *hic enim ſolus eſt Prophetarum, qui Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, quem alii in longa tempora futurum præſciverunt, propriis oculis videre meruit, & annunciare præſentem.*

XVI. Obſervandum hic eſt, quod quamvis

C Joan-

Joannes Chriſtum præſentem annunciaverit, ipſumque viderit, meritò tamen inter Prophetas eſt numerandus: quià non priùs Chriſtum cognovit cognitione intuitivà, quam cognoviſſet lumine ſupernaturali, ac ſpiritu prophetico; quod manifeſtè deducitur ex ipſiuſmet Joannis Cap. 1. verſ. 32. & ſeqq., legimus enim: *& teſtimonium perhibuit Joannes dicens, quia vidi Spiritum deſcendentem, quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum, & ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto, & ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.* Hinc maximam lucem accipiunt verba Divi Auguſtini Lib. 17. de Civitate Dei Cap. 24. nempè: *Propheta fuit Joannes, qui juvenis jam juvenem Chriſtum, non quidem futurum prædixit, ſed tamen incognitum prophetica cognitione monſtravit.* Hæc ſunt clariſſima teſtimonia, quibus probare poſſumus, extitiſſe in novo teſtamento Prophetas, & inſignitum novum teſtamentum dono Prophetiæ.

XVII. Neque hic aliquis nobis obiiciat verba Matthæi Cap. 11. nempè: *omnis lex, & Prophetæ uſque ad Joannem prophetaverunt*, atque ex hoc teſtimonio deducat, ceſſaſſe in Joanne omnem Prophetiam, nec alios poſſe ampliùs dari Prophetas. Reſpondemus enim cum Sacris expoſitoribus, illa verba eſſe intelligenda de Prophetiis, ac Prophetis, qui

qui Chriſtum venturum prædicebant, quorum ultimus, ac veluti corona, ac complementum fuit Joannes Baptiſta. Nam, ut inquit, Chryſoſtomus homilià 15. ex variis in Matthæum: *Ipſe ſilentium impoſuit Prophetis, ſed illis Prophetis, qui adventum Chriſti prænunciabant*. Et hinc non repugnat, quod ceſſaverint in Joanne Prophetiæ, & quod adhuc Propheticus ſpiritus non ceſſiverit. Hinc Divus Epiphanius Lib. 2. tomo 2. Cap. 75. adverſus hæreſes editionis Petavii hac clariſſimà ſimilitudine utitur, ut demonſtraret, ceſſaſſe Prophetias prænunciativas Chriſti, & de illis eſſe intelligenda verba Matthæi. *Quemadmodum enim, inquit, Rex in aliquam Provinciam iturus, metatores ante ſe, ac nuncios mittit, & quo propior ejus adventus eſt, eò plures ejus præcones, ac præcurſores antecedunt. Poſtquàm autèm Princeps urbem ingreſſus fuit, quid amplius præconibus opus eſt, cæteriſque regis adventus prænunciis, cum jam ipſe intrà mænia verſetur? Eodem modo Lex, & Prophetæ ad Joannem uſque perſtiterunt; poſtquam autem Joannes in deſerto prædicavit, & agnum illum eſſe Dei monſtravit, qui tollit peccata mundi, nihil ampliùs Prophetas mitti neceſſe eſt, qui nobis Chriſti ortum ex Virgine, adventumque denuncient*.

Iſaiæ filii Amos, quam vidit ſuper Judam, & Jeruſalem, in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, & Ezechiæ Regum Juda.

LECTIO II.

I. *ISaias meritò ab Eccleſiâ primum locum inter Prophetas obtinuit, quamvis non omnes tempore anteceſſerit: ejus nomen, Patria, & laudes. II. Quanta fuerit ejus auctoritas apud antiquos. III. Oſeas, cùr ità dictus, ubi natus, & ſub quibus Regibus prophetaverit. IV. Joel quid prædixerit, & quo tempore. V. Diverſæ opiniones de patriâ Jonæ: quo tempore vixerit. VI. Amos quâ ætate prophetaverit, & ad quos. VII. Abdias, an unus fuerit ex quinquagenariis, ſivè Semicenturionibus miſſis ad Heliam; ejus Patria, & geſta. VIII. Michæas ſub quibus regibus floruerit. IX. Nahum Jonæ ſucceſſor multa contrà Ninivitas prædixit. X. Sophonias præclarè de Chriſto, & ejus Eccleſia vaticinatur: diſperſionem Idolorum prædicit. XI. Habacuc vixit temporibus Babylonicæ captivitatis, Danielem in lacu leonum detentum confortavit: excidium Hjeroſolymitanum prænunciavit. XII. Hjeronymi teſtimonium de Jeremia: quandò cæperit prophetare:*

tare: multi exiſtimant ad eum referri verba Apoſtoli ad Hæbreos Cap. 11. verſu 37. *an fuerit Propheta Judæorum, & Gentilium. XIII. Ezechiel, qua ex tribu oriundus, quam obſcura ejus oracula. XIV. Baruch Jeremiæ diſcipulus, & amanuenſis. XV. Daniel de omnibus regnis, ac præcipuè de glorioſo Chriſti regno prophetavit. XVI. Aggæus ſuis Prophetiis adhortatus eſt populum ad readificationem templi. XVII. Zaccharias idem habet argumentum cum Aggæo, ejus tamen dicta prolixiora, & obſcuriora. XVIII. Malachias cur angelus dictus: antiqua de eo opinio: quanta de Chriſto vero Meſſia prædixerit. XIX. Prophetica oracula ſapientum doctrinis antiquiora.*

I. QUamvis Iſaias non omnes Prophetas tempore anteceſſerit, meritò tamen ab Eccleſia primum inter Prophetas locum obtinuit, cum ille ſive nobilitate nominis, quod *ſalus Domini* interpetratur, ſivè ſplendore Sanguinis, (erat enim filius Amos fratris Amaſiæ regis Juda), ſivè ſtyli elegantia, varietate, profunditate, claritate cæteris videatur præponendus. Hic eſt magnus ille Vir, qui contra Judæam, & Jeruſalem, contra gentes Babylonicas, Philiſtæas, Damaſcenas, Ægyptias, Idumæas, ac Tyrias ferè nonaginta annis prophetavit. Incæpit enim, ut teſtis eſt Divus Hjeronymus, anno 25. Joſiæ, qui regnavit annis 52. Hoc idem munus divinum proſequutus eſt ſub Joathan, qui ut

4. regum Cap. 15. verſu 13. legimus, regnavit annis 16. Prophetavit etiam ſub Achaz, qui ut Cap. 17. ejuſdem libri, regnavit annis 16. Prophetavit etiam ſub Ezechia, qui ut expreſſum eſt Cap. 18. ejuſdem libri regum, regnavit annis 19. Extinctus eſt ob ſuarum prædictionum veritatem, ob zelum Sanctarum legum, ob libertatem, quâ ſcelera populi increpabat ſub rege Manaſſe, anno videlicet ſecundo regni ejus; quæ quidem diverſa annorum intervalla, ſi diligenter enumeraverimus, facient ſummam annorum nonaginta. Quod ſi teſtimonia requirimus, quæ iſtius magni Viri Sanctitatem, atque doctrinam commendent, attentè conſideranda ſunt illa verba, quæ habentur Eccleſiaſtici Cap. 48. verſu 25. & ſeqq. nempè *Iſaias Propheta magnus, & fidelis in conſpectu Dei. In diebus ipſius retrorediit ſol, & addidit regi vitam. Spiritu magno vidit ultima, & conſolatus eſt lugentes in Sion, uſque in ſempiternum oſtendit futura, & abſcondita, antequam evenirent.* Quibus verbis non obſcurè nobis inſinuatur, quàm ſingularia, & quàm magnifica dona à liberali Dei manu fuerint huic Sancto Viro diſpenſata, cum is Meſſiæ adventum non tantùm prædixerit tam clarè, ac diſtinctè, ac ſi propriis oculis vidiſſet, non tantùm quæ poſt ſuam ætatem erant ventura prænunciaverit, ſed ultima etiam Mundi tempora prophetica cognitione penetraverit: quod indicant ſuperiora verba Eccleſiaſtici *Spiritu magno vidit ultima*. Hinc

eſt,

eſt, quod à Hjeronymo, & Cyrillo Propheta, Evangeliſta, & Apoſtolus appellatur.

II. Valuiſſe autem Iſaiam auctoritate apud antiquos, ex eo deducitur, quod ejus Prophetiæ præ cæteris ſcriptis circumferebantur, ac in Synagoga legebantur à Judæis. Ipſemet Chriſtus Dominus, ut Judæorum perfidiam confunderet, eis obiecit verba iſtius Prophetæ; præcipuè, ut narratur Matthæi Cap. 13. verſu 13., Cap. 15. verſu 7., Marci Cap. 7. verſu 6., Lucæ præcipuè Cap. 4. verſu 16. ubi exprimitur, quod cum veniſſet Nazareth, ac Synagogam fuiſſet ingreſſus, traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ, & ut revoluit librum, invenit locum, ubi ſcriptum erit: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me*. Quod quidem teſtimonium, ad ſe verum Pontificem, ſummumque Sacerdotem referri, palàm pronunciavit. Omnes etiam Evangeliſtæ divina hujus Prophetæ dicta citarunt, ut Matthæi Cap. 3. verſu 3. Cap. 4. verſu 14. Cap. 8. verſu 17. Cap. 12. verſu 17., Marci Cap. 1. verſu 2., Lucæ Cap. 3. verſu 4., Joannis 1. verſu 23., & 12. verſu 38. Si quis verò clariſſimo exemplo probare velit, quàm frequens, & quàm jucunda fuiſſet antiquis lectio vaticiniorum Iſaiæ, legat caput octavum Actuum Apoſtolorum verſu 28. ubi narratur, quod potens ille Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum, cum ab Jeruſalem reverteretur nobili ſuo curru vectus, & itineris tædium aliqua vo-

lup-

Digitized by Google

luptate propulſaret, in manibus geſtabat, ſedulòquè voluebat, non Poetarum fabulas, non ſuorum temporum hiſtorias, non regendæ, aut adminiſtrandæ domus præcepta, non leges, quibus civium animi in officio continentur, ſed Iſaiam Prophetam: quæ lectio adeò illi utilis fuit, ut Deus Pater luminum ad eum miſerit Philippum, qui abſcondita in vaticinio myſteria revelaret, ac ſalutifero baptiſmatis lavacro à morte ad vitam traduceret. Sed quoniam ſuprà diximus, Iſaiam non fuiſſe omnium Prophetarum primum, ſi tempus conſiderandum ſit, non inutile hìc erit, Prophetarum omnium ordinem, atque catalogum retexere, ut ex eo poſſit facilè lector coniicere, ſub quibus Regibus, quo tempore Sancti illi viri prophetaverint, & quas circumſtantias eorum dicta reſpiciant.

III. Primus ergo fuit Oſee, qui *Salvator* juxta ethymologiam nominis interpetratur. Hic fuit filius Beeri ex oppido Belometh in tribu Iſachar ortus; Scripſit librum propheticum contrà decem tribus Iſrael ſub nomine Ephraim, Samariæ, & domus Joſeph. Vixit ſub Oſia, Joathan, Achaz, & Ezechia regibus Juda, mortuuſque eſt in Patria ſua circa annum ab orbe condito termilleſimum, & trecenteſimum quadrageſimum juxta Cronologiam Sixti Senenſis in ſua Bibliotheca Sancta.

IV. Secundus fuit Joel, qui interpetratur *Incipiens*, filius Pathuel, ſeu Pethuel ex agro Bethor

thor de tribu Ruben oriundus, qui prædixit, quanta mala imminerent tribus Juda, Jacob, & Hjeruſalem ob gravia ſcelera, quibus divina ira, atque vindicta provocabatur, & multa quoque prænunciavit de Regno Chriſti, ac miſſione Spiritus Sancti. Claruit iſte Propheta, ut refert Sixtus Senenſis loco citato, ſub Joram filio Acab Rege Iſraelis: Tirinus tamen eumdem, aſſeruit, floruiſſe ſub initium Regni Oſiæ.

V. Tertius fuit Jonas, cujus nomen *Columbam* ſignificat, filius Amithai Prophetæ ex regione Opher, ex viculo Geth. Epiphanius hunc in Gath, ſeu in Chavathamaum in tribu Dan haud longè ab Azoto Paleſtinorum Urbe natum eſſe affirmat, & refert, fuiſſe illius viduæ filium, quem Helias Propheta mortuum reſuſcitavit, qui cum ad virilem ætatem perveniſſet, prædixit Damaſci, & Hemath, & terminorum Regni Iſraelitici reſtitutionem per Jeroboam regem Iſrael faciendam: deindè miſſus in Niniven Aſſyriæ Metropolim, illam ſuà prædicatione à ſceleribus abduxit, atque ad Deum convertit. Fuit Oſee, Amos, atque Iſaiæ contemporaneus, & mortuus eſt in terra Saar, & ibi ſepultus in ſpecu Ceneſæi circà annum ab orbe condito termille ducentum quadraginta.

VI. Quartus fuit Amos, ideſt *Portans*, qui juxtà Epiphanium erat de tribu Zabulon ex oppido Thecue. Juxtà Hjeronymum verò de tribu Juda,

da, cum ipſe affirmet, ſupradictum locum non multùm diſtare a Sancta Bethlehem. Prophetavit autem Amos contrà decem tribus Iſrael, contrà finitimas gentes, ac Regnum Judæ. Claruit ſub Ozia Rege Juda, & Jeroboam filio Joat Rege Iſrael, à quo, & à filio Amaſiæ Sacerdotis Bethel, quem ob conflationem, adorationemque vitulorum aureorum graviter obiurgaverat, clavo circa tempora transfixus occubuit.

Quintus fuit Iſaias, de quo jam meminimus.

VII. Sextus Abdias, hoc eſt *Cultor Dei*, natus teſte Epiphanio in agro Lethtacmar: aliqui exiſtimant, eum antè acceptum Prophetiæ donum, quinquagenarii, hoc eſt Semicenturionis officium geſſiſſe apud Ochoziam Regem Iſrael, & cum poſt duos quinquagenarios divino igne abſumptos miſſus eſſet ad comprehendendum Prophetam Heliam, Rege relicto ejus diſcipulum factum fuiſſe. Divus tamen Hjeronymus arbitratur, eum fuiſſe illum virum, qui ut narratur 3. Regum, centum Prophetas ob perſequutionem Achab, & Jezabelis in ſpeluncis latitantes pavit, & confortatus eſt. Prophetavit contrà Chaldæos, ac barbaras gentes, quæ adverſus Regnum Iſrael inſurrexerunt.

VIII. Septimus eſt Michæas, ideſt *Humilitas*, quem aliqui volunt ortum in vicu Morastite in tribu Ephraim, alii tamen in Urbe Mareſà in tribu Juda eum natum eſſe affirmant. Floruit tempori-

bus

Digitized by Google

bus Joatham, Achaz, & Ezechiæ Regum Judæ. Prophetavit contrà Samariam, & Hjeruſalem, contrà Reges, Judices, Prophetas, ac Sacerdotes falſos, qui neglecto vero Dei cultu ſe ad impietatem, ac ſupeſtitionem converterant, & verbum Domini abiecerant. Prædixit Salvatoris adventum, & locum humanæ ejus nativitatis clariſſimè enunciavit, & ex altiſſimo loco præcipitatus occubuit.

IX. Octavus fuit Nahum, ideſt *Conſolator*. Hunc Epiphanius in oppido Elkeſei trans Jordanem fluvium verſùs Begabar in tribu Simeon natum eſſe refert. Hjeronymus verò in Helcheſei viculo, qui erat in Galilæa, & temporum iniuria dirutus eſt, eumdem natum eſſe teſtatur. Hic Jonæ ſucceſſor contrà Ninivitas vaticinatus eſt; videbat enim, quod primorum ſcelerum veniâ à Deo obtentâ, nova quotidiè crimina, & fortaſſe majora perpetraſſent. Cum ergo populorum, Regumque ſcelera liberè increpaſſet, ſub Rege Manaſſe, dum impius erat, mortuus eſt.

X. Nonus fuit Sophonias, ideſt *arcanus Domini*, cujus patria Sarabatha mons. Hic fuit filius Chuſi filii Gedaliæ filii Amariæ filii Ezechiæ an Regis, an alterius, incertum eſt apud Auctores. Propheticum munus obire cæpit ſub initio Joſię, videlicet antequàm ipſe ſacrilegos ritus à Manaſſe, quando in impietatis erroribus vivebat, invectos ſuſtuliſſet, contrà quos ritus Cap. I. ſuæ Prophetiæ divinam iram

D 2 mi-

minitatur, & prædicit, Deum homines diſperſurum à facie terræ, & diſperſurum pariter reliquias Baal, & nomina ædituorum cum Sacerdotibus: multa etiam de Chriſto, & Eccleſia Cap. 3. præclarè vaticinatus eſt.

XI. Decimus fuit Abacuch, ideſt *Luctator*: quem aliqui volunt eſſe ex tribu Simeon, ortum videlicet in agro Beſcchar; alii verò oriundum faciunt ex tribu Levi. Vixit Babylonicæ captivitatis temporibus, & ille fuit, qui Danielem in lacu leonum detentum ab Angelo per capillos apprehenſus prandio recreavit, refecit, nutrivit. Excidium Jeroſolymitanum per Chaldæos proximè faciendum indicavit Cap. 1. Meſſiæ adventum Cap. 2., atque in Oratione ſua.

XII. Undecimus Jeremias, ideſt *Excelſus* filius Helchiæ Sacerdotis ortus in viculo Anathot tribus milliaribus ab Jeroſolymis diſtante. In præfatione ad Prophetias ejuſdem ſic ſcribit Divus Hjeronymus: *In matris utero Sanctificatus virginitate ſua evangelicum virum Chriſti Eccleſiæ dedicans: vaticinari exorſus eſt puer, & captivitatem Urbis, atque Judeæ non ſolum ſpiritu, ſed & oculis carnis intuitus eſt: Jam decem tribus Iſrael Aſſyrii in Medos tranſtulerant, jam terras earum Coloniæ gentium poſſidebant, undè in Iudam tantùm, & in Ben-iamin prophetavit, & civitatis ſuæ ruinas quadruplici planxit alphabeto.* Prophetare cœpit anno decimo tertio Joſiæ, & floruit etiam ſub Joachaz,

Digitized by Google

chaz, Joachim, Jechonia, & Sedecia; cujus anno undecimo adimpletum eſt vaticinium de Urbis excidio. Ab Johanano in Ægyptum adductus eſt, & cum impios ſui populi homines ob graviſſima ſcelera, quibus divinam majeſtatem offendebant, prophetica libertate reprehendiſſet, ab iiſdem lapidibus obrutus eſt: undè aliqui auctores affirmant, ad eumdem referri Apoſtoli verba ad Hebræos Cap. 11. verſu 37., nempè *lapidati ſunt*. Cum autem ipſe non tantùm apud Judæos prophetaverit, ſed etiam in Ægyptum cum reliquiis Judæorum profectus vaticinatus ſit ipſius Ægypti, Palæſtinorum, Tyri, Sidonis, Gazæ, Mohabitarum, Ammonitarum, Idumeæ, ac multorum etiam regnorum gentilium excidium, conſtat jam adimpleta eſſe, quæ habentur Cap. 1. verſu 5. ſuæ Prophetiæ nempè; *& Prophetam in gentibus dedi te*. Jeremiam Taaphnis martyrium ſubiiſſe, aliqui referunt, & ejus oſſa ab Alexandro magno Alexandriam delata, Chronicon Alexandrinum commemorat.

XIII. Duodecimus fuit Ezechiel de tribu Levi oriundus filius Buzi Sacerdotis natus in terra Sarera, ac Jeremiæ Prophetæ coævus. Cum deportatus eſſet in Chaldæam unà cum Rege Jechonia, prophetare cæpit, ut ex ejus libro colligitur, juxtà fluvium Chobar anno quinto tranſmigrationis, Ætatis ſuæ trigeſimo: & cum per viginti annos prophetico munere fungeretur, à Judice populi Iſrael,

Iſrael, quem ob graviſſimum Idololatriæ crimen acerrimè obiurgaverat, interfectus dicitur, & ad ripam Euphratis ſepultus, in eàdem conditus ſpeluncà, in quà Sem, & Arphazad Abrahami progenitores ſunt repoſiti. Divus Hjeronymus, qui primus omnium totum Ezechielem ſuis commentariis expoſuit, illum in ſuà præfatione appellat ſcripturarum Oceanum, & myſteriorum Dei Labyrinthum, & occurrentes in libro hujus Prophetæ difficultates, aptiſſima Cretenſis labyrinthi ſimilitudine his verbis Virgilii expreſſit.

Hic labor, illa domus, & inextricabilis error,
Ut quondam Cretà fertur Labyrinthus in altà
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Mille viis habuiſſe dolum, quò ſigna ſequentum
Falleret indeprehenſus, & irremeabilis error
Spiritus ipſe dolos tecti, ambageſque reſolvat
Cæca, precor, nobis veſtigia, te duce, Chriſte.

XIV. Tertiusdecimus fuit Baruch Jeremiæ Diſcipulus, & Amanuenſis, ut conſtat ex Cap. 36. verſu 4. Jeremiæ, ubi legimus: *vocavit ergo Jeremias Baruch filium Neeriæ, & ſcripſit Baruch ex ore Jeremiæ omnes ſermones Domini &c.* Prophetavit autem Baruch in anno quinto in ſeptimo die menſis in tempore, quo cæperunt Chaldæi Jeruſalem, & ſuccenderunt eam igni.

XV. Quartusdecimus fuit Daniel ex tribu Juda non procul ab Jeroſolymis natus, qui cum eſſet

Digitized by Google

eſſet puer, adductus eſt in Babylone cum Joachim Rege Juda anno tertio Regni ejus, factuſque eſt eunuchus Regis Chaldæorum. Hic de omnibus Regnis, ac præcipuè de glorioſiſſimo Chriſti Regno multa prædixit. Vixit in Babylonica ſervitute Aſſyriorum Regibus gratiſſimus, & mortuus eſt, ut aliqui referunt, in Babylone temporibus Cyri Perſarum Regis, & ibi magnis honoribus ſepultus eſt.

XVI. Quintusdecimus Aggæus, qui ex Babylone in Judæam reverſus, ſuis vaticiniis populum eſt adhortatus ad reædificationem templi, quòd propriis oculis completum vidit, ibique divinas laudes cæcinit, & prophetias de reverſione populi, de templi ædificatione, de hoſtium reverſione brevi, ſed eleganti ſtylo compoſitas reliquit; mortuus eſt annis quinquaginta poſt reditum de captivitate Babylonicà.

XVII. Sextusdecimus Zaccharias filius Barachiæ, cujus vaticinia ſimile habent cum Aggæo argumentum: Sunt tamen prolixiora, & valdè obſcuras viſiones continent, in quarum myſteriis indagandis, atque explicandis multi Sacri Interpetres elaborarunt.

XVIII. Decimusſeptimus fuit Malachias, qui interpetratur *Angelus*; quod quidem nomen aliqui ex antiquis exiſtimarunt, illi fuiſſe attributum, quia verè eſſet Angelus; quem errorem Hjeronymus, & cum eo Sapientiſſimi Scriptores refellunt, ſi enim ex

Digitized by Google

ex vocabuli Ætymologiâ rerum eſſet natura deducenda, non tàm Angelus Malachias, quàm Jona Columba, Oſee Salvator, verè eſſent credendi. Divus Epiphanius, Malachiam narrat eſſe de tribu Zabulon natum in oppido Sopha, eique nomen Angeli comuniter attributum non tam ob elegantem corporis formam, quam ob internam Animæ pulchritudinem, & innocentiam. Ille enim non tantùm prænunciavit adventurum Chriſtum verum, & expectatum Meſſiam ad templum ſuum, ſed repræhendit improbos mores ſui Populi, ac præſertim impuram Sacerdotum vitam, qui poſt tot divina beneficia, poſt reditum è Babylonicâ ſervitute, poſt reſtauratum templum, ad priora ſcelera nihilominus redeuntes, novis, & quidem maximis criminibus cœleſtem vindictam provocabant.

XIX. Hæc eſt omnium Prophetarum ſeries, quàm ideò præmiſimus, ut ex eâ Propheticæ Scripturæ antiquitas deduceretur. Clarè enim depræhendemus, multorum Prophetarum ſcripta ipſis Phyloſophorum ſectis eſſe antiquiora: nam ſi conſulamus veterum monumenta, intelligimus profectò, primas Phyloſophorum ſectas fuiſſe Jonicam, & Italicam. Italicæ Princeps extitit Pherecydes, cujus auditor fuit Pythagoras Samius, & venit in Italiam regnante Tarquinio Superbo, & nomen dedit Pythagoricæ Sectæ, ad cujus imitationem Eleatica Eleæ Lucaniæ inſtituta eſt, & plures habuit

buit aſſeclas, nempè Zenophontem, Parmenidem, Meliſſum, Zenonem, Leucippum, Democritum, & Heraclytum, quorum coætaneus fuit Hyppocrates. Jonicæ Sectæ fuit Princeps Thales Mileſius: huic ſucceſſit Anaximander, Anaximandro Ageſilaus, qui ex Jonia Philoſophiam tranſtulit Athenas; hujus auditores præcipui fuere Socrates, Ariſtippus auctor Sectæ Cirenaicæ, Antiſthenes Cinicæ, Plato Accademicæ, & Zenophon vitæ militaris ſtudioſus, & Politicæ. Et hinc quatuor inſtitutæ Sectæ nempè Accademica, quæ Platonis, Peripatetica Ariſtotelis, Stoica Zenonis, Cinica, ſeu Epicurea Epicuri. Cùm autem Thales Princeps Sectæ Jonicæ, & Pherecydes Italicæ, quæ ſunt antiquiores Sectæ, floruerint circa Olympiadem 15, & prima Olympias incęperit anno 5. Oziç Regis Judę, quo tempore cùm jàm extitiſſent aliqui Prophetę, conſtat, illos fuiſſe ſapientibus antiquiores,

verſ. II.

Audite Cœli, quæ loquor, & auribus percipe terra &c.

LECTIO III.

I. *Divinæ Scripturæ ſunt fontes perennes, à quibus, & Sanctitatem, & eloquentiam homines poſſint haurire. II. Proſopopæjæ exempla non tàm in hoc Prophetæ Iſaiæ vaticinio, quàm in trium Puerorum cantico. III. Metonymia, & quatuor modi metaphoræ ex Sacris literis deducuntur. IV. Multa exempla figurarum occurrere poſſunt divinos libros revolventi. V. In tropologico ſenſu nomine* Cœli *homines juſti, nomine* Terræ *peccatores aliquandò intelliguntur, & colligitur ex Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus. VI. Peccatores cur appellentur* Terra. *VII. Juſti* Cœlum *dicuntur. VIII. Contrà ingratos Cœlum, & terra advocantur, quia Creaturæ reprehendunt peccatores, & contrà ipſos armantur.*

I. JUcundiſſima eſſe divina eloquia, & quæ omnem humanam eloquentiam antecedunt, omnes fatentur, qui Sacras litteras diligunt, colunt, vene-

venerantur. Diſcunt enim in Sacris literis arcana Sapientiæ, & dum eloquia Domini eloquia caſta purà mente percipiunt, mirà quadam ſuavitate perfunduntur. Sunt enim divinæ Scripturæ fontes perennes, è quibus non tàm morum ſanctitatem, quàm eloquentiam haurire poſſumus. *Divinus Sermo Sacræ Scripturæ*, ut inquit Gregorius in Proemio Moralium, eſt *fluvius planus, & altus, in quo, & agnus ambulat, & Elephans natat*.

II. Prophetam loquentem audiamus, & Poetis, atque Oratoribus valere juſſis, examinemus jàm, quàm eleganter loquatur, ut ingratos Judæorum animos reprehendat, ut oſtendat, quàm grave, & quanto dignum ſupplicio ſcelus commiſerint. Inquiramus, quibus tropis, quibus figuris utatur, ut errantem populum ad neglectam, derelictamque veritatem reducat, ut in mente hominum æterna ipſius veritatis dogmata imprimantur. En advocat Cœlum, & terram; inquit enim, *audite Cœli, & auribus percipe terra*: quo in loco, ſi eloquutionem perſcrutemur, utitur figura Proſopopæja, quæ eſt quædam apparens inductio perſonarum, quam frequentiſſimè in Sacris litteris reperiemus, & celeberrimum exemplum habemus Jeremiæ Cap. 2. *Obſtupeſcite Cœli ſuper hoc, & Portæ ejus deſolamini vehementer*. Danielis 3. ubi omnes res creatæ invitantur, ut immortales Creatori ſuo gratias referant, cum dicitur, *Benedicite omnia opera Domini Domino, &c.*

 III. Iſta

Digitized by Google

III. Iſta etiam loquutio poteſt Metonymia nuncupari, ſi dicamus, Prophetam ſumere rem continentem nempè Cœlum, & terram pro re contentà, videlicet pro habitatoribus Cœli, & terræ. Vel denique affirmare poſſumus, hanc elegantiſſimam expreſſionem, quà Propheta Cœlum, & terram advocat, dum ait: *audite Cœli, &c.* eſſe metaphoram: qui quidèm tropus quemadmodum in humanis, ità in divinis litteris uſurpari ſolet. Vel enim ſumitur res animata pro animatà, ut Iſaiæ 16. *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ*: ubi Agnus ſumitur pro Chriſto vero Meſſia. Vel ſumitur res inanimata pro alià inanimatà, ut Canticorum 8. *aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem*: ubi nomine aquarum affluentia bonorum temporalium intelligitur; & Pſalmo 65. *igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum*: ubi ignis ponitur pro tribulatione. Vel ſumitur res animata pro inanimatà, ſive proprietas, & effectus rei animatæ rei inanimatæ tribuitur, ut in præſenti textu audire, & auribus percipere, proprietates videlicet ſenſibilium, & intellectualium animalium Cœlo, ac terræ accomodantur. Sic etiam Jeremias in Threnis Cap. 1. eàdem loquutione uſus eſt, prædicens exterminium urbis Jeruſalem: *quomodo, inquit, ſedet ſola civitas plena populo.... plorans ploravit in nocte, & lacrimæ ejus in maxillis ejus*: ubi ſedere, & flere civitati tribuitur. Sic *vertex* montis dicitur Exodi 17. nume-

Digitized by Google

Numerorum 14., & alibi, cum tamen vertex, & caput rebus animatis conveniat. Vel denique ſumitur res inanimata pro animatâ, ut 1. ad Corinthios Cap. 10. *Petra autem erat Chriſtus*.

IV. Neque iſte tantùm tropus, ſed alii etiàm apud hunc Prophetam, variæque figuræ reperientur, cùm frequentiſſimæ eſſe ſoleant in Sacrâ Scriptura. Allegoria videlicèt, vel cùm ſub nomine vineæ, & vitis ſubintelligitur hebraicus populus, vel mors ſub nomine ſomni, ut cùm ad Theſſalonicenſes 1. Cap. 5. *Itaque non dormiamus ſicut, & cæteri*. Ænigma, ut Proverbiorum 30. *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes affer, affer*. Catachreſis, cum per abuſionem nomen imponitur ad aliquid exprimendum, ut Pſalmo 74 *omnia cornua peccatorum confringam*. Antiphraſis, quandò res per oppoſitum nomen exprimitur, ut Job Cap. 2. *Quod in faciem benedixerit tibi*: ubi benedictio ſumitur pro blaſphemia. Synecdoche Geneſis Cap. 6 *omnis caro corruperat viam ſuam*, & Exodi Cap 1. *verſu* 5. *omnes animæ eorum, qui egreſſi ſunt de fæmore Jacob*; ubi pars ſumitur pro toto. Anaphora, ſive repetitio Pſalmo 28. *afferte Domino filii Dei, &c.* & Pſalmo 117. *Dicat nunc domus Aaron, &c.* Hypothipoſis Pſalmo 44. *aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate*; & Canticorum 1. *Surge, propera amica mea, columba mea*, & quæ ſequuntur. Climax, ſive gradatio, ad Romanos Cap. 5. *tribulatio patientiam operatur, patientia probatio-*

Digitized by Google

bationem, probatio ſpem, ſpes autèm non confundit. Homoeſis, cum ex ſimilitudine cogniti in cognitionem incogniti devenitur, ut Pſalmo 122. *ecce ſicùt oculi Servorum in manibus dominorum ſuorum, & ſicùt oculi Ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ità òculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donèc miſereatur noſtri*. Hypozeuxis, ſivè ſubconiunctio, cùm verbi diverſis clauſulis apponuntur Pſalmò 1. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, in viâ peccatorum non ſtetit, in cathedrâ peſtilentiæ non ſedit*. Tautologia ſivè conduplicatio ejuſdem verbi, ut Pſalmo 131. *viduam ejus benedicens benedicam*. Jeremiæ Cap. 1. Threnorum: *plorans ploravit in nocte*. Apoſiopeſis Deuteronomii 32. *& dixi ubi nam ſunt; ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum, ſed proptèr iram inimicorum diſtuli, ne fortè ſuperbirent hoſtes eorum*. Nequè tantùm Tropos, & figuras eloqutioni inſervientes reperiemus in divinis litteris, ſed valida, ac robuſta argumenta ad animos convincendos tàm ex locis extrinſecis, quàm intrinſecis deſumpta, in quibus enarrandis, exponendiſque annus nobis deficeret. Hæc ſufficiat indicaſſe ad redarguendos eos, quorum anima nauſeat in Mannà Sacræ lectionis, & reputat leviſſimum cibum divinas Scripturas: diſcant illi, veram eloquentiam in eo conſiſtere, ut animi ſenſus rectè exprimantur, ut diſtinguantur perſonæ, ad quas ſermo dirigitur, temporum, & locorum circumſtantiæ diſtinguantur; quod rectiſſimè præſtari in di-

divinà Scripturà, unicuique legenti patebit:

Audite Cœli, & auribus percipe terra, &c.

V. Si in tropologico ſenſu horum verbo-rum paululùm immoremur, non incongruè affirmare poſſumus, Prophetam ſermonem ſuum referre ad juſtos, & peccatores, illos nomine Cœli, iſtos nomine terræ exprimendo. Quæ interpetratio non videtur aliena ab uſitato ſtylo Scripturæ, & ab opinione ſanctorum Interpretum, nam Eccleſiaſtici Cap. 10. legimus: *quid ſuperbis terra, & cinis:* ubi nomine terræ peccatores ſuperbi reprehenduntur. Matthæi Cap. 5. Apoſtolos ſuos appellavit Chriſtus ſal terræ, dixit enim: *vos eſtis ſal terræ;* nomine terræ peccatores intelligens, *quorum condiendis, extinguendiſque putoribus apoſtolicum Salem Dominus miſit*, ut interpetratur Auguſtinus lib. 1. de ſermone Domini in monte Cap. 6. Geneſis pariter Cap. 6. cùm ſignificatur, maximum eſſe peccatorum numerum, & creſcentes in dies culpas divinam iram provocaſſe, & veluti longè, latèque Serpentem peſtem hominum animos infeciſſe legitur: *corrupta eſt terra coram Deo.* Iſaiæ Cap. 11. cùm de venturo Meſſià prædicitur, quod peccatores arguet, ponitur: *percutiet terram virgà oris ſui.* Jeremiæ pariter Cap. 22. verſu 29. ut oſtenderet Propheta, ingratos Judæos ter divina monita repuliſſe in trium Regum clade nempè Joachaz, Joakim, & Joachin, ait: *terra, terra, terra audi ſermonem Domini.* Sic Geneſis Cap. 3. dictum

Digitized by Google

ctum eſt Serpenti: *terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ:* ubi aliqui Sacri Expoſitores interpetrantur nomine terræ homines malos, qui ſunt Diaboli cibus. Hinc Divus Petrus Epiſtola 1. Cap. 5. hortatur fideles, ut ſobrii ſint, ac vigilantes *quià adverſarius Diabolus tamquàm leo rugiens circuit quærens, quem devoret.*

VI. Nec incongruè nomine terræ ſolent homines terrenis cupiditatibus dediti nuncupari, cùm hoc proprium ſit amoris, in rem amatam amantem transformare, & hinc Divus Auguſtinus ſermone 121. editionis Sancti Mauri explicans illa verba Joannis Cap. 1. *& mundus eum non cognovit*, ſic concludit: *homines mali mundus vocantur, homines infideles mundus vocantur, indè acceperunt nomen ex eo, quod amant; amando Deum efficimur Dii, ergo amando mundum efficimur mundus*: Appellantur etiàm terra peccatores, quià ipſas hujus infimi elementi qualitates moribus ſuis imitantur; eſt enim terra gravis, denſa, frigida, & ſicca; peccatores verò graves, quià delictorum ſuorum pondere opprimuntur, undè Pſalmo 4. exclamat Propheta: *filii hominum uſquequò gravi corde*. Denſa terra eſt, & quemadmodum in denſis corporibus nullum ſpatium nobis relinquitur, ut videamus, ſed ipſis interpoſitis omne aliud obiectum diſcernere prohibemur: ità peccatores terræ adhærentes cœleſtium bonorum ſuavitatem non percipiunt, pulcritudinem non intuentur, inæxtima-

mabile pretium non agnoſcunt, quod elegantiſſimè expreſſit coronatus Pſaltes Pſalmo 37. *dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum*. Et expreſſiùs Pſalmo 39. *comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem*. Sicca, & arida terra eſt, aridi quoque peccatores; undè Pſalmo 142. legimus: *Anima mea ſicut terra ſine aquà tibi*, & Pſalmo 101. *percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum*: Aridi sũt peccatores, quià ut habetur Jeremię 7. *dereliquerunt fontem aquarum viventium Dominum*. Patet iſte divinus Fons, ut abluat, ut fœcundet, ut ſitim expleat. Et quemadmodum admirabilis ille fons deliciarum hortum abluebat, & in quatuor capita dividebatur; ità ſumma Bonitas, quæ in omnes diffunditur ad animos abluendos, in quatuor quodammodò capita, nempè in cardinales virtutes dividitur, Juſtitiam ſcilicèt, Prudentiam, Temperantiàm Fortitudinem, quibus quicumque animum exornant, nunquàm ſitiunt, ſed potiùs cœleſti ſuavitate recreantur. Frigidi ſunt Peccatores, quià diſiuncti ſunt ab igne divinę Charitatis, quòd ſignificavit Chriſtus Dominus, cùm dixit: *abundante nequitià refrigeſcet Charitas multorum*.

VII. Sed quemadmodum nomine terræ peccatores, ità nomine Cœli Homines Juſti exprimuntur. Nàm ſi Cœlum dicitur à *cœlando*: Cœlum eſt, qui in ſe Dei opificem cœlat. Cœlant in ſe Dei opificem Animæ juſtæ; ſunt enim jucundiſſimum,

ac ſplendidiſſimum illius templum: quare Apoſtolus 2. ad Corinthios Cap. 6. inquit: *vos eſtis templum Dei vivi*. Et 1. ad Corinthios Cap 3. *neſcitis, quià templum Dei eſtis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis*. Et Chriſtus Dominus Joannis 14. verſu 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Audite Cœli &c.

VIII. Advocat Cœlum, ac terram Propheta, & Creaturas obteſtatur, ut cognoſcant omnes, quàm ingratus fuerit ille populus poſt tot accepta beneficia divina. Hac eadem expreſsione uſus eſt Moyſes Deuteronomii Cap. 32., cùm dixit: *audite Cœli, quæ loquor*. Cœlum ergò, & terra vocantur, ut illæ ſcilicèt res creatæ noſtro beneficio hominem accuſent, qui ipſis abutitur. Et quià Hæbrei ab Ægyptiis, finitimiſque nationibus ſuperſtitionem mutuantes, terrena veluti numina venerabantur, & Solem, ac ſydera, ſivè militiam Cœli adorabant, qui mos & Job Cap. 31. exprimitur: Ideò Cœlum ipſum, ac terra ad judicandos, reprehendendoſque Judæos vocantur, juxtà illud Pſalmi 49. *advocavit Cœlum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum*. Neque illa conſuetudo advocandi creaturas, ut peccatores reprehendantur, apud Iſaiam tantùm deprehendi poteſt, & apud Moyſen, cùm innumeris etiàm locis reperiatur. Unum præ cæteris hic affe-

Digitized by Google

afferemus, nempè Cap. 13. lib. 3. Regum, ubi narratur, quod cùm quidam Vir Dei reprehendere voluiſſet Jeroboam, qui thura Idolis in Bethel adolebat, populumque peſſimo exemplo ad Idololatriam impellebat, non ad ipſum Jeroboam, ſed tantùm ad altare ità loquutus eſt: *altare, altare, hæc dicit Dòminus, ecce filius naſcetur domui David Joſias nomine, & immolabit ſuper te Sacerdotes excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te incendet.*

Advocat igitur Propheta Cœlum, & terram, ut Creaturæ ipſę, quamvis ſenſu carentes, & rationis expertes, homini ingrato opponantur, illumque accuſent. Hinc Sapientię 16. legimus: *Creatura tibi Factori inſerviens, excandeſcit* (alii legunt, exardeſcit) *in tormentum adverſùs iniuſtos*. Sapientiæ pariter Cap. 5. de Deo dicitur, quòd *armabit creaturam ad ultionem inimicorum*; & infrà: *pugnabit pro eo orbis terrarum contrà inſenſatos*. Et juremeritò, nàm cùm æternâ lege omnia dirigantur, perducanturque ad ſuum finem, cùm ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, & quidquid in cœlo eſt, ac ſub cœlo continetur, dicatur facere Verbum Domini, reprehendetur profectò ab omnibus creaturis, qui Factori ſuo non obſequitur, & divina illius præcepta non veneratur. Reprehendetur à Sole, qui Deo jubente vocem Joſue audivit, ut narratur Joſue 10. Reprehendetur ab igne, qui ad Eliæ preces deſcendit 4. Regum Cap. 1. A mari, & vento Chriſto ob-

Digitized by Google

obtemperantibus,ut Matthæi Cap. 8.,cæteriſque creaturis, quarum promptam obedientiam ſacra nobis eloquia teſtantur. Si hoc bellum pertimeſcerent homines, & antè mentis oculos proponerent, quàm juſtè in peccatores armentur creaturæ, minimè ad res creatas converterentur Creatore relicto. Hinc dictum eſt à Deo Job Cap. 40. verſu 27. *Memento belli, nec ultrà addas loqui*. Ille, cujus animo altè, & tenacitèr hujus diſſidii recordatio imprimitur, eam tantùm pacem requirit, quæ teſtimonio Prophetæ Pſalmo 118. *Multa eſt divinam legem diligentibus*. Jàm non eſt, cur de rerum naturà querantur homines, illa benignè ſe geſſit, nec homini innocenti pœnas inflixit. Violavimus jura naturæ cupiditatibus noſtris, armavimus divinæ Juſtitiæ ultricem dexteram, provocavimus iniurià Creatoris omnia mala, quæ nemo Juſtus cognoverat, & quæ velut effractis carceribus in omne genus hominum ſeſe ſimul effuderunt: armavimus in perniciem noſtram Feras ipſas, quæ nobis obtemperabant, & dùm didicimus errorem à ſerpente, docuimus animantia crudelitatem.

quis talia fando

Temperet à lacrymis, &c.

Cùm primus Parens divina mandata neglexit, omnia in eum, poſteroſque ſuos elementa coniurarunt; & qui in Innocentiæ feliciſſimo ſtatu conſtitutus, imperium in omnia animantia obtinuerat, ut

ut narratur Geneſis Cap. 1. poſtquàm tranſgreſſus eſt divinam legem, ſtatim coactus eſt Judicem tremendum recognoſcere, quem benignum Patrem contempſerat, & ſpoliatus jure Dominii audivit, ut exprimitur Geneſis Cap. 3. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex eà cunctis diebus vitæ tuæ: Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Vides jam, ut excandeſcant, ut armentur Creaturæ adverſùs iniuſtos: vides, ut ipſum terræ elementum perpetuà doloris uſurà ſuas nobis delicias elargiatur, & vectigali ſudore comparentur, quæ ad vitam nobis præbentur alimenta, nec ſine atroci ſpinarum vulnere noſtræ deliciæ colligantur. Pungunt adhuc nos, quæ in primos Parentes exortæ ſunt ſpinæ; pungunt quotidiè peccantes, nàm teſte Gregorio Homiliâ 35. in Evangelia *qui in cunctis delinquimus, in cunctis ferimur, ut impleatur, quod dictum eſt, & pugnabit pro eo orbis terrarum contrà inſenſatos.* Utinam unuſquiſque eorum, qui in pœnam delicti res creatas ſibi nimiùm acerbas habet, atque experitur, convertat mentis oculos ad Deum, quos ad Creaturas converterat, & verè fateatur cum pœnitente Rege Pſalmo 31. *Converſus ſum in ærumnâ meà, dum configitur ſpina.*

verſ. II.

*Filios enutrivi, & exaltavi: ipſi verò ſpreverunt me.
Cognovit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præ-
ſepe Domini ſui, Iſrael autem me non
cognovit, & Populus meus non
intellexit. &c.*

LECTIO IV.

I. *Beneficiis etiàm Feræ manſueſcunt: Judæi, hominesque ingrati Ferà quacumque pejores reputari debent, quià divinis beneficiis non reſpondent. II. Deo debemus eſſe, conſervationem, & omnia vitæ commoda; Et quià tamquàm filii ejuſdem imaginem geſtamus, noſtrùm eſt, optimum Patrem amare, atque imitari. Præclara Joannis ſententia explicatur. III. Enutrire non ſolùm reſpicit divinam Providentiam in ordine naturali, ſed etiàm in ſupernaturali.*

Cùm beneficia etiàm Feræ ſentiant, & nullum ſit ferocius animal, quod cura non mitiget, atque in ſui obſequium vertat, & hoc magiſtra experientià compertum ſit. Nàm videmus Leonum ora à magiſtro impunè tractari, omniaque animantia

tia gratiam ſuo modo rependere eis, à quibus nutriuntur, & conſervantur. Meritò reprehendit Judæos Propheta Domini, & oſtendit eos obcæcatos peccatorum tenebris, Dominum ſuum, à quo innumera beneficia acceperunt, non recognoſcere, & feris, animantibuſque irrationabilibus deteriores negare Deo debitum obſequium, Sanctiſſimaſque leges violare.

II. Atque, ut antè oculos ingrati populi ponat omnia beneficia, quæ ab ipſo mundi primordio per omnes ætates, ac tempora à liberali dexterà ſummi Factoris diſpenſata ſunt, ea ad tria capita perſtringit. Inquit enim *Filios*: quod pertinet ad eſſe: *enutrivi*: quod conſervationem videtur innuere: *exaltavi*; quod ad vitæ commoda, ſeù ad melius eſſe refertur. Oſtendit primò, quàm maximum, ac ſingulare Deì beneficium ſit, hominem ad Imaginem, & Similitudinem ſuam condidiſſe. Quod agnoſcens Propheta Pſalmo 8., ſummo ſtupore correptus exclamabat: *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra. Quid eſt homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniàm viſitas eum? Minuiſti eum paulominùs ab Angelis, gloriâ, & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Hoc tàm altum, & tam immenſum beneficium peccatorum conſcientiam accuſat, ingratumque animi vitium redarguit: Nam ſi Dominum ſuum reverentur, ac timent animan-

tia

tia rationis expertia, ſi illis obtemperant, à quibus vitæ commoda recognoſcunt ſibi provenire: quantò magis homines ipſum Deum amare, ac venerari debent, quantoque animi conatu ad ipſum tendere tamquàm ad principium totius boni creati. Quantà ope eos niti deceat, ut tanti Patris veſtigia ſequantur, cujus geſtant imaginem altè, & tenacitèr impreſſam: degeneres, atque ingrati reputantur filii, qui optimum Patrem non ſequuntur, & brutis pejores ſunt exiſtimandi, qui parui æſtimant ſe eſſe ad imaginem Dei, ac Dei filios appellari. De hàc imagine plura dixi in meà ideà Theologicà, in quà multa poſſent Auditores mei notare.

Interim, ut cognoſcamus, quàm juſtè à Deo per Iſaiam reprehendantur peccatores, & accuſentur tamquàm ingrati, atque rebelles filii, animum convertamus ad auream Divi Joannis Evangeliſtæ doctrinam, qui Cap. 3. ſuæ epiſtolæ 1. ſic ſcribit: *Videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & ſimus*, & verſu 7., & 8. Diſcipulos ſuos inſtruens, ſic argumentatur: *filioli, nemo vos ſeducat; qui facit juſtitiam juſtus eſt, ſicut & ille juſtus eſt; qui facit peccatum ex Diabolo eſt, quoniàm ab initio Diabolus peccat*. Quaſi dicat: veri filii non ab opibus, non à potentià, non à dignitate, ſed à Patrum ſuorum imitatione dignoſcuntur. Filii ergò Dei ſunt, qui immaculatas Juſtitiæ leges colunt, meditantur, obſervant, & oſtendunt, ſe eſſe ex Deo, qui juſtus

eſt,

Digitized by Google

eſt, & juſtitiam diligit, & cujus oculi vident æquitates. Qui verò has divinas leges tranſgrediuntur, negligunt, contemnunt, genus ſuum à Diabolo repetunt, quem ſequuntur, quem moribus imitantur. Ille omnium parens, qui à Deo deficiunt, quià primus defecit, & ſi imitatione, quales ſint filii, & cujus ſint filii, dignoſcuntur, maximà iniurià divinam Charitatem, majeſtatemque afficiunt illi, qui non erubeſcunt, pravà imitatione pro filiis Diaboli reputari.

Enutrivi &c.

III. Verbum hoc non tantùm ſpectat ad divinam Providentiam, quà omnes regimur, & conſervamur in ordine naturali: quà de re intelligenda ſunt verba Pſalmi 103. *omnia à te expectant, ut des illis eſcam in tempore, dante te illis colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate:* Sed etiam ad eamdem Providentiam, quà in ordine ſupernaturali populus ille regebatur; inſtruebatur enim præceptis, exemplis, & prædictionibus. Quà in re poſtquàm innumeras Deo gratias retulit coronatus Propheta Pſalmo 147., dixit: *qui annunciat verbum ſuum Jacob, juſtitias, & judicia ſua Iſrael, non fecit talitèr omni nationi, & judicià ſua non manifeſtavit eis.*

Exaltavi &c.

Ad victorias eſſe referendum, quas, Deo protegente, de hoſtibus reportarunt, & quæ enarrantur in Libris Exodi, Numerorum, Joſue, Judith, Regum, Judicum, Machabæorum.

Digitized by Google

Væ Genti peccatrici &c.

LECTIO V.

I. AD exprimendam ſummam miſeriam hominis, & deplorabilem ejus ſtatum, ſatis eſt dicere, illum eſſe peccatorem. II. In ſcelerum vindictam voluit Deus, ut ſcelera ipſa fierent flagella peccatorum. III. Peccatum interni diſſidii cauſa, monſtrum terribile, peſtis perniciosa, mors, & ſepulcrum. IV. Eſt etiàm Infernus Inferno profundior. Explicatur Pſalmus 85., Pſalmus 7., & præclarà ex Divo Baſilio ſimilitudo adducitur. V. Anima ſine gratià, quaſi terra ſine aquà. VI. Flamma culpa eſt, & quocumque incendio atrocior, ex Danielis Cap. 3. juxtà expoſitionem Divi Joannis Chryſoſtomi magnum ſupplicium eſt peccare, etiàmſi non indè puniamur. VII. Teſtimonio Divi Pauli ad Hæbreos Cap. 4. versù 15. magna infelicitas peccatoris oſtenditur, & quantùm debeat timere.

I. Cùm væ ſit interiectio, aut comminantis, aut condolentis, & Propheta expreſsè non adducat cauſam, cur tali interiectione utatur, ſatis

tis intelligimus, illam eſſe tacitè adductam in ſubſequentibus verbis, nempè *Genti peccatrici &c.* Qui enim deplorabilem, ac miſerrimum ſtatum, alicujus hominis voluerit indicare, atque ad vivum exprimere, ſatis eſt, ſi dicat, illum eſſe peccatorem. Quemadmodum enim nulla eſt major in hàc vità felicitas, quàm

Nil conſcire ſibi, nullà palleſcere culpà:

ità nulla major miſeria, quàm in numero eorum eſſe,

quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Juvenalis Sat. 13. *Occultum quatiente animo tortore flagellum,*
Pœna autem vehemens, ac multò ſævior illis,
Quas & Cæditius gravis invenit, aut Rhadamãtus
Nocte, dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Magna vis conſcientiæ, inquit Cicero pro Milone, *Magna vis conſcientiæ in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiſerunt, & pœnam ſemper antè oculos verſari putent, qui peccaverunt.* Quàm durum, quàm ſeverum, inexorabilemque tortorem primus ille fratricida geſtaret in animo, & quàm miſerrimè viveret vexatus conſcientià delicti, exagitatus timore ſupplicii, Sacra nobis eloquia teſtantur Geneſis Cap. 4; nàm ille dixit ad Dominum: *ecce me eiicis hodiè à facie terræ, & à facie tuà abſcondar, & ero vagus, ac profugus in terrà; omnis igitur, qui me invenerit, occidet me.* Quæ verba conſiderans Am-

Digitized by Google

broſius de Abel, & Cain Lib. 2. Cap. 9. ſed, inquit, *à quo timebat occidi, qui ſolos parentes haberet in terris? Potuit quidèm & incurſus beſtiarum timere, qui legis divinæ jura violaverat, nec præſumere de ſubjectis animalibus cæteris, qui hominem docuerat occidi: potuit & parentes timere, qui docuerat, parricidium poſſe committi. Potuerunt enim, & parentes de Filio diſcere, quod didicerunt poſteri de Parente.*

II. Voluit Deus, ut in ſcelerum vindictam ſcelera ipſa fierent flagella peccantium, & eos, in quorum conſpectu non eſt Deus, & quorum viæ inquinatæ ſunt omni tempore, habere ſemper antè oculos commiſſa delicta. Hinc Pſalmo 49. poſtquàm graviſſima crimina peccatori exprobrata ſunt, tandèm illi hoc ſupplicium minitatur iratus Judex nempè: *arguam te, & Statuam contrà faciem tuam*. Sed quale putas objectum terribile ſtatuendum antè oculos peccatoris, àn peſtis, ignis, ferrum, monſtra, abyſſus? eſt & aliquid peſte nequiùs, ferro penetrabiliùs, monſtris crudeliùs, abyſſo terribiliùs, nempè peccatum, quod ex eodèm textu Sacri Interpetres deducunt, quos hic citat Lorinus, qui legunt: *Statuam peccata tua antè oculos tuos:* O ſpectaculum deplorabile, ò ſupplicium magnoperè pertimeſcendum!

III. Hinc jure meritò interno animi dolore Rex pœnitens affligebatur, quoties eum memoria commiſſi delicti pungebat, & confitebatur Pſalmo

Digitized by Google

mo 37. *non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum*: & Pſalmo 50. *Peccatum meum contrà me eſt ſemper*. Nempè Rex ille fortiſſimus, qui Leones, & Urſos inermis occiderat, qui terribilem gigantem agminibus Dei Iſrael inſultantem ſolo baculo, & fundà armatus proſtraverat, benè intellexerat, quàm horribile, & quàm pertimeſcendum monſtrum culpa ſit, & ad quas miſerias homines adducat. Actorum pariter Cap. 7. glorioſus Levita Stephanus lapidibus obrutus pro Chriſti nomine non immemor doctrinæ, quam innocentiſſimus Magiſter ſuo Sanguine confirmaverat, poſitis genibus clamavit voce magnà dicens: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*: Sciebat enim hoc ingratiſſimi populi delictum, & graviſſimam delinquentium pœnam, & acerbà recordatione perpetuum tortorem futurum. Peccatum eſt illa peſtis pernicioſa, illa flamma vorax, illa fera crudelis, quæ homines à ſummo bono averſos in nihilum redegit. Florentiſſima Regna, ditiſſimæ urbes, fortiſſimi populi peccato magis, quàm hoſtium viribus, ac furore perierunt. Et hinc Proverbiorum Cap. 14. legimus: miſeros *facit populos peccatum*: Hoc homines excæcat, opprimit, atque ad funeſtiſſimum præcipitium impellit, & hinc peccantem populum appellat Iſaias Cap. 43. verſu 8. *populum cæcum, & oculos habentem*. Hoc inſtabiles, atque infelices homines reddit; & hinc jure optimo de Jeruſalem aſſeruit Jeremias in Threnis: *peccatum*

catum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Hoc eſt mors animæ; & hinc Divus Gregorius in ſeptem pſalmos pœnitentiales Tomo 3. ait: *quid eſt peccatum niſi mors? Mors eſt, quæ animam à Deo ſeparat, ſenſuum internorum intercludit officia, divinam deturpat imaginem, lucis non admittit claritatem: denique qui Chriſto moritur, in Sepulcro concupiſcentiæ tumulatur*. Divus etiàm Ambroſius Lib. 5. Commentariorum in Lucæ Cap. 7. poſt initium ait: *quis iſte tumulus tuus, niſi mali mores? Tumulus tuus perfidia eſt, Sepulcrum tuum guttur eſt*.

IV. Neque tantùm mors eſt Sepulcrum, ſed Infernus Inferno profundior appellatur culpa à Sacris Interpetribus, præcipuè Euthymio, Lorino, & Leblanc, qui verba illa davidica Pſalmi 85. nempè: *eruiſti animam meam ex Inferno inferiori*: volunt non ineptè referri poſſe ad peccatum luxuriæ, à quo gaudebat David, ſe fuiſſe liberatum. Culpa eſt Infernus Inferno pejor, ac profundior: quod enìm miſeri, atque infelices damnati à Deo averſi ſint, & ipſum ſummum bonum offendant, malum eſt, ſed malum eſt eorum, qui in totà æternitate, & ſpatia pœnitentiæ, & Gloriæ felicitatem deſperant: quod verò homo viator cum ſpe pœnitentiæ, & Gloriæ Deum offendat, à quo & ſpatia pœnitentiæ, & coronæ Gloriæ conceduntur, Infernus eſt Inferno profundior; huic Inferno, & vaſa mortis, & omnes divinæ vindictæ ſagittæ paratæ ſunt. Celebris eſt locus Pſalmi 7., in quo ad pecca-

Digitized by Google

catores pœnitens Rex, ac Propheta ſic alloquitur: *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit*. Quæ ultima verba utpotè difficiliora, ſic exponit Divus Baſilius: *quemadmodum enim ignem Dominus non adamanti, qui non liqueſcit igne, ſed ardenti materiæ, ceù ſunt ligna, creavit, ſic & ſagittæ Dei in animas, quæ multùm aridæ materiæ, & ad interitum aptæ collegerunt, ſunt effectæ:* concludit demum: *illi itaque, qui ignitas Diaboli ſagittas priùs in ſe receptas retinent, hi ſunt, qui demùm Dei ſagittas excipiunt; ideò dicit, ſagittas ipſius jàm ardentibus effectas*.

V. Areſcunt, atque exardeſcunt animæ peccantium, & ut inquit Divus Gregorius Tomo 3. in ſeptimum Pſalmum pœnitentialium: *quaſi enim terra ſine aquà eſt anima ſine gratià:* undè in pœnam voluntarii delicti, illorum ſcilicèt, qui inflammati cupiditatibus mundi, & ſuccenſi ardore terrenarum voluptatum receſſerunt à fontibus Salvatoris, paratæ ſunt ſagittæ divinæ ultionis. Hinc Divus Joannes Chryſoſtomus homilià de Sancto Babylà ipſa voluptatum incentiva non incongruè appellat *Φλόγα αρχομενην* ideſt ſubnaſcentem flammam, & homilià de Sancto Bartholomæo æſtuantis cupiditatis ardores eſſe dicit *φυσέως πυραν*, ideſt naturæ rogum.

VI. Sed non tantùm flamma culpa eſt, ſed flamma quocumque incendio atrocior, ac terribilior. Hoc nos docuerunt admirabili ſuà fortitudi-

ne;

ne, atque conſtantiâ tres illi pueri Sidrach, Miſach, & Abdenago, quorum martyrium, ac triumphus Danielis 3. exprimitur: iſti enim maluerunt proiici in ardentem fornacem, quàm adorare Statuam illam auream, quàm erexerat Nabuchodonoſor Rex, & plùs eos culpæ incendium, quàm flamma fornacis deterruit: *noverat enim*, inquit Divus Joannes Chryſoſtomus, *quod incenſi nihil paſſuri erant grave; impia verò agentes, extrema ſubituri; magnum enim ſupplicium peccare, etiamsi non puniamur, peccata enim nos à Deo ſeparant, pœnæ verò nos ad Deum perducunt.*

Magnum ſupplicium eſt peccare, etiamsi non puniamur, & hoc innuitur Levitici 14. verſu 15. ubi hæc habentur: *homo, qui maledixerit Deo, portabit peccatum ſuum, & qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur*: Septuaginta legunt: *homo quicumque maledixerit Deum, peccatum accipiet: nominans autem nomen Domini, morte moriatur.* Quæ verba conſiderans Divus Cyrillus Alexandrinus Lib. 14. ſic ait: *quid eſt, quod qui maledixerit Deum, non habet pœnam mortis, ſed qui nominaverit nomen Domini: nonnè multò gravius eſt maledicere Deum, quàm nominare, quàmvis in vanum nominaſſe dicatur? Sanè multò eſt graviùs accipere peccatum, & habere ſecùm, quàm morte mulctari.*

VII. Sed ut expreſſiùs videamus, in quà miſeriâ verſentur illi, qui ſuaviſſimum divinarum legum excutientes jugum non timent ultricem dexteram Altiſſimi, nec animadvertunt, quibus ſe expo-

ponant ſuppliciis, & quàm gravia tormenta mereantur, ab antiquo ad novum Teſtamentum gradum faciamus, & attentè conſideremus verba Doctoris Gentium ad Hebræos Cap. 4. verſu 15. ubi ſummà induſtrià antè peccatorum oculos Dei miſericordia proponitur, ne deſperent veniam, & tacitè debita peccato ſupplicia indicantur, ne converſionem differant: inquit enim Apoſtolus: *non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*. Quaſi dicat: Chriſtus, quià noſtram carnem aſſumpſit, promittit noſtris infirmitatibus remedium, ut ad ipſum promptè, ac cum fiduciâ recurramus: conſiderare tamèn oportet, quod ille peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus, ſimilitudinem carnis peccati aſſumpſit, peccatum tamèn non commiſit. *Væ Genti peccatrici &c.* Si Chriſtus fons innocentiæ pro ſimilitudine abſque peccato tentatus eſt per omnia, expertus eſt omnes afflictiones, omnia tormenta; quæ tormenta non experientur, non ſentient illi, qui beneficio redemptionis abutuntur, qui ſcelera committunt? Si pro ſimilitudine abſque peccato proprio Filio ſuo non pepercit Deus, quibus tormentis non deputabuntur ingrati Peccatores? Accedant ad divinum Pontificem infirmi, atque tentati cum fiduciâ, nàm ipſe infirmitatibus compatietur. Sciant tamen, graviſſima tormenta à Chriſto ſuſcepta fuiſſe illa, quæ peccatoribus debebantur.

Digitized by Google

verſ. IV.

Populo gravi, ſemini nequam, filiis ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt Sanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum &c.

LECTIO VI.

I. *PEccata non tàm pondere, quàm multitudine gravia dicuntur. Davidica teſtimonia adducuntur, Job Cap. 7., & difficilis locus Zachariæ Cap 5. explicatur. II. Populus gravis appellabatur etiàm ob numerum peccatorum. III. Semen nequam illi ſunt, qui non tantùm imitantur ſuorum parentum crimina, ſed peſſimo exemplo alios inducunt ad peccandum. Exponitur de hàc re Geneſis Cap. 3., & proponitur auctoritas Ruperti, & Baſilii. IV. Semen nequam fugiendum, illi videlicèt, qui poſſunt eſſe occaſio peccati. Præclara hujus rei documenta in Sacris Litteris. V. Maximum delictum eſt, Deum derelinquere, ſinè quo vivere non poſſis. VI. Amare proficere eſt, peccare verò eſt miſerrimè deficere.*

I. ATrociſſima populi ſui delicta divino zelo inſequitur, ac reprehendit Propheta, &

hoc

hoc verſiculo perſtringit, ut pateat omnibus, quàm juſtè de Judæis conqueratur. Populum igitur gravem appellat, quià cor ejus erat obcæcatum, & aures ejus aggravatæ. Duobus autèm modis poteſt aliquid grave nuncupari, vel quià multiplex, ſivè numeroſum eſt, vel quià maximè præponderat. Utrumque indicavit Regius Propheta Pſalmo 37. cùm dixit: *iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum:* En numerus, & multiplicitas, quæ pariter exprimitur Pſalmo 39. ubi dicitur: *comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem; multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei:* Subiungitur in verſu 5. Pſalmi 37. *& ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me:* quibus verbis maximum pondus peccati denotatur. Quod autèm peccata exitiali pondere peccatores opprimant, non tàm ex ſuprà citatis teſtimoniis, quàm ex pluribus aliis unicuique in Sacrà Scripturà occurrentibus deduci poteſt; ut eſt illud Job Cap. 7. *peccavi, quid faciam tibi ò cuſtos hominum? quarè poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi gravis?* Nec abs re Zachariæ Cap. 7. inducitur iniquitas ſedens ſuper talentum plumbi, quià videlicèt tàm grave eſt pondus peccati, ut peccatores opprimat, debilitet, proſternat. Hoc pondus ſubſtinere non potuerunt rebelles ſpiritus, qui ob peccatum in tartara præcipites corruerunt. Quod admiratur Iſaias Cap. 14. cùm dicit: *quomodo de Cœlo cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris.* Tàm ſu-

Digitized by Google

ſubitò, tàm promptè ſubſequuta eſt ruina peccatum, ut meritò Chriſtus Dominus Lucæ 10. verſu 18. dixerit: *videbam Satanam ſicùt fulgur de Cœlo cadentem*. Vocat igitur Propheta populum gravem, quià videlicèt non quæcumque peccata perpetrabat, ſed graviſſima ſcelera, & ità onerosa, ut non niſi cum maximà difficultate potuerit ab eis relevari.

II. Ratione numeri peccatorum appellari populum illum *gravem*, deduci poteſt ex Pſalmo 37. jàm explicato; de iniquitatibus dicitur, quod ſupergreſſæ ſint caput. Sic pariter populus ille Hebræus Deo ingratus gravis nominatur ab Iſaià, quià non unum tantùm ſcelus, ſed multa, & quidèm graviſſima numerabantur, de quibus poſſet reprehendi, & accuſari. Et quemadmodum Pſalmo 34. populum gravem dicit Regius Propheta populum numeroſum, & conſpicuum, dum canit: *in populo gravi laudabo te*. Sic è contrà hìc ab Iſaià populus dicitur gravis, aut ob atrocitatem, aut ob numerum delictorum. Quod quidèm videtur congruè explicari, ſi adducamus verba Oſee Cap. 4. ubi ipſe judicium Dei minitatur filiis Iſrael, & poſteà ſic loquitur: *non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt Scientia Dei in terrà: maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit*. Ezechiel pariter Cap. 7. prædicens appropinquare diem divinæ ultionis, & recenſens delicta populi, concludit demùm verſu 23.

fac

fac concluſionem, quoniàm terra plena eſt judicio ſanguinum, & Civitas plena iniquitate. Ex iſtis ergò locis jàm patet, quod meritò poſſit appellari gravis ille populus, in quo non ſolùm præponderat delictum, ſed inundant ſcelera, & cor multitudine ſuà opprimunt.

III. Semen nequam à Domino declinantem populum vocat Iſaias, & ſceleratos filios; quod & activè, & paſſivè poteſt intelligi, quatenùs non tantùm peccata parentum Judæi imitabantur, quàm alios longà conſuetudine peccandi, & peſſimo exemplo ad peccatum inducebant. Sicut infectum, ac corruptum ſemen non poteſt optimum fructum producere, ſed infectum, ac corruptum erit, quidquid ex illo productum fuerit, ità quæcumque pravà imitatione patrata ſunt, prava erunt, ac peſtifero culpæ veneno infecta. Divinus Agricola quemadmòdum nunquàm deſtitit bonum ſemen ſeminare in agro ſuo, eos videlicèt nobis proponendo, ad quorum exemplum mores, vitamque componeremus; ità inimicus homo ſuperſeminavit zizania, & malignus hoſtis, quæ ad incorruptionem jacebantur ſemina, veneno ſuæ mortificavit invidiæ. Semen eſt Verbum Dei, quod in cordibus hominum retentum uberrimos fructus producit. Optimum ſemen illi ſunt, qui optimum patrem imitantur, qui morum innocentià, qui virtutum ſplendore cæteros ad virtutem excitant, at-

que

Digitized by Google

que ad immortalem juſtitiam perducunt. Semen Diaboli ſunt Peccatores, qui à Deo averſi impium illum peccatorum Patrem imitantur, qui primus à Deo defecit, & cujus invidià mors intravit in orbem terrarum. Hinc poſt primi hominis peccatum dictum eſt ſerpenti, cujus formam ad illum decipiendum callidus hoſtis aſſumpſerat Geneſis Cap. 3: *inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius*. In quo quidem vaticinio quàmvis per mulierem Beatiſſima Virgo Maria, & per ſemen illius Chriſtus optimè intelligatur; poſſunt tamen omnes electi utriuſque ſexus deſignari, qui contrà iniquos, qui ſunt Diaboli ſemen, decertant, & victoriam obtinent. Legatur Rupertus Lib 2. de victorià Verbi Dei Cap. 17 ubi ait: *omnes electos tàm fœminei, quàm virilis ſexus per mulierem, & ſemen illius intelligimus, & è contrario ſicùt per Serpentem Diabolus, ità & per ſemen Serpentis omnes iniqui, & maligni homines imitatores ejus rectè intelliguntur, licèt neminem genuerit, aut creaverit ille: nàm ſi iniqui, & impii homines Serpentis, ideſt Diaboli ſemen non eſſent, nequaquàm Dominus diceret Judæis, & vos, quæ vidiſtis apud patrem veſtrum, facitis; itemque vos facitis opera patris veſtri: Profectò volens Diabolum intelligi, ſequitur*
Joannis 8. *enim protinùs in eodem ſermone, vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere*. Cùm ſemen Diaboli ſint peccatores, & ſemen nequam appellentur, meritò inimicitias poſuit Deus inter nos, ho-

hoſtemque noſtrum, ac corruptum ſemen ſuum. Nàm ut inquit Divus Baſilius in homilià, quod Deus non ſit auctor malorum: *reverà namque noxiæ ſunt amicitiæ, quæ cùm malitià contrahuntur; nàm ea eſt amicitiæ hujus lex, & vis, ut per ſimilitudinem malitiam coniunctis inſerat. Quamobrem proverbium dicit: corrumpunt bonos mores colloquia prava: Quemadmodùm enim in peſtilentibus locis ſenſim attractus aer latentem corporibus morbum inicit, ſic itèm in pravà conſuetudine, ac converſatione maxima nobis mala hauriuntur, etiamſi ſtatìm incommodum non ſentiatur.*

IV. Quàm deteſtabile ſit hoc nequam ſemen Sacræ nos literæ frequenter docent, & ipſa divina ſapientia tradit nobis conſilium altè, & tenaciter cordibus noſtris imprimendum, cùm dicit Proverbiorum 1. verſu 10. *fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis*. Quemadmodùm enìm infantes, qui ab infectæ matris, vel infirmæ nutricis uberibus lac ſuxere, noxio alimento in ſubſtantiam converſo neceſſe eſt, ut languores contrahant, multiſque infirmitatibus ſuccumbant; ità prava peccatorum conſilia, quæ fictà voluptatum dulcedine alliciunt, cujus ſemel animum imbuerint, occulto veneno inficiunt, atque contaminant. Quantò ſtudio, atque induſtrià fugiendum eſt à nobis ſemen illud impium, quo iniquitas propagatur, & augetur numerus damnatorum! Nos, ut inquit Petrus, *ſumus genus electum*: nos, ut ſcribit Paulus, *ſumus hæredes Dei*, cohæ-

Digitized by Google

cohæredes autem Chriſti. Voluit cœleſtis Pater, ac miſericors, ut dulciſſimis uberibus veritatis lactaremur, ut per bonorum operum exempla religionis majeſtatem oſtenderemus, augeremus civium cœleſtium numerum: *voluntariè enim*, ut ſcribit Jacobus in ſuâ epiſtolâ Catholicâ Cap. 1. verſu 18. *genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus*. Generat Pater in divinis, mens illa ſummè fœcunda, incomprehenſibilis illa veritas, & quià generat Verbum, oritur Filius Deus verus de Deo vero: Procedit à Patre, & Filio Divinus Spiritus, verus Amor, qui eſt in utroque: Cùm divina bonitas, quæ eſt eadem in tribus, ſeſe ad extrà diffunderet, creatus homo eſt, ut ſectaretur verum, ùt amaret bonum; & cùm invidià Diaboli relicto vero, & bono ad malum, erroremque converteretur, ùt iterum reverteretur ad principium, à quo receſſerat, proſpexit de Cœlo Juſtitia, & veritas de terra orta eſt. Genuit verbum veritatis, quos verbum mendacii perdiderat. Qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus; donavit etiàm omnia nobis cum Filio, ùt illum recipientes, & ejus veſtigia ſequentes, haberemus poteſtatem Filios Dei fieri. Voluit, ùt fœcundaret terras veritas, genuit nos verbo veritatis, ùt illuſtrati fulgentiſſimo radio ipſius ambulemus in ſanctitate, & Juſtitià coràm illo, & ſimus initium aliquod, ſive ùt legunt Septuaginta, *Primitiæ Creaturæ ejus*.

De-

Digitized by Google

Dereliquerunt &c.

V. Hæc eſt ſumma delicti, eum derelinquere, ſine quo vivere non poſſis: undè Deuteronomii Cap. 32. verſu 5. conqueritur Deus: *Generatio prava, atque perverſa, hæccine reddis Domino popule ſtulte, atque inſipiens? nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?* & verſu 18. *Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui.* Jeremiæ quoque Cap. 2. atrociſſimum populi ſcelus exponitur, defectio nempè à Deo, converſio ad Idola: legimus enim verſu 13. *duo enim mala fecit Populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Verſu verò 26. optimè nobis exponitur, quid ſignificent verba Iſaiæ dicentis: *blaſphemaverunt Sanctum Iſrael &c.* non enim ore tantùm, ſed factis Deum blaſphemaverunt. Nàm barbararum gentium ſuperſtitionem, atque Idololatriam imitati ſunt, & hoc clariſſimà ſimilitudine indicatur: *quomodò confunditur fur, quandò deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſrael, ipſi, & Reges eorum, Principes, & Sacerdotes, & Prophetæ eorum dicentes ligno: pater meus es tu, & lapidi, tu me genuiſti.* Quemadmodùm enim fures, qui tenebrarum obſcuritate protecti conantur rem alienam ſubripere, & patrocinante noctis ſilentio, tuta eſſe ſua delicta exiſtimant, ſi repentè deprehendantur, erubeſcunt tentati confuſione delicti, ac vehementi pavore concutiuntur, Ita in-

ingratus ille populus, qui in tenebris tantorum delictorum verſabatur, & ſummà iniuſtitià furti ſe à Deo ſubtraxerat, honorem divinæ majeſtati debitum tribuens ligno, ac lapidibus, cæteriſque rebus ſenſu carentibus, quas divinitatis loco ſubſtituerat, accuſabatur ab omnibus Creaturis, quæ Deum recognoſcunt, & ipſo delicto contrà eum clamante deprehendebatur, vaticinante verſu 19. eodem Jeremia: *arguet te malitia tua, & averſio tua increpabit te*. Et quam juſtè deprehendi, atque increpari debeant à commiſſo delicto ex verſu 32. deducitur, legimus enim: *nunquid obliviſcetur virgo ornamenti ſui, & Sponſa faſciæ pectoralis ſui? Populus verò meus oblitus eſt mei diebus innumeris.*

Abalienati ſunt retrorsùm &c.

VI. Divinus Amor progreſſio quædam eſt, quà ſcilicèt ad bonum ſuum transfertur Anima, nititurque, ut illud quotidiè imitetur. Culpa verò cùm à Deo retrahat, defectio eſt, adeòque peccatores abalienantur retrorsùm. Abalienantur, quià pravà imitatione efficiuntur filii Diaboli; abalienantur retrorsùm, quià avertunt ſe ab illà majeſtate, ſine quà omnia intereunt, & ad nihilum rediguntur. Hinc Pſalmo 2. legitur: *ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus*. Et Pſalmo 1. poſtquam comparatur juſtus ligno plantato ſecùs decurſus aquarum; quià videlicèt accedens ad Deum, & coniunctus fonti aquæ vivæ creſcit exercitio virtu-

Digitized by Google

tutum, dilatatur divinà charitate, germinat, frondeſcit exemplo bonorum operum, ac per obedientiam mandatorum ſuaviſſimos fructus affert; de impiis è contrario dicitur: *non ſic impii non ſic, ſed tamquàm pulvis, quem proiicit ventus à facie terræ.* Obſervemus motum pulveris vento agitati, ut volat, ut extollitur; perſequente vento volat ad diſperſionem, extollitur ad ruinam, & qui exaltatus oculos intuentium pungebat, & ad lacrymas incitabat, jàm non habet in facie terræ oculos, quibus videatur, ſed quibus plangatur.

Digitized by Google

verſ. V.

Super quo vos percutiam ultrò addentes prævaricationem? &c.

LECTIO VII.

I. *S*Enſus verborum explicatur. II. Probatur ex ſcripturâ, ac Patribus, ſubtractionem flagelli eſſe omnium ſuppliciorum ſummum. III. Miſericordiam exercet Deus, quandò punit Peccatores, indignatur, quandò non punit. IV. In hâc re exponitur Oſee Caput 4. verſu 14., & Origenis teſtimonium proponitur. V. Adducitur textus Iſaiæ Cap. 40., & auctoritas Divi Gregorii. VI. Flagella divina, quibus Peccatores excitantur, & corriguntur, ſunt indicium amoris. VII. Aſſeritur divinis teſtimoniis, Deum tunc maximè iraſci, quandò non iraſcitur. VIII. Verſus 16. Cap. 4. Oſee, & Pſalmus 72. fuſè declarantur.

I. Cùm peccantem populum peſte, bello, fame, ſervitute, variiſque malis, veluti flagellis, Deus tamquàm benignus Pater percuſſiſſet, cùmque nihilominùs in novis committendis delictis perſeveraſſet, acerrimam ſuæ dexteræ vindi-

ctam

ctam illi minitatur Deus per ſuum Prophetam, dicens: *ſuper quo vos percutiam ultrà addentes prævaricationem?* Quod juxtà Sacros Interpetres, variaſque ejuſdem loci lectiones, idem eſt, ac ſi exprimatur; quo vos ampliùs ſupplicio afficiam, quo flagello percutiam, ſi nulla vos movent ad pœnitentiam?

Quid juvat extinctos ferrum demittere in artus,
Non habet in nobis jàm nova plaga locum Ovid. lib. 4. de Ponto

Vocavi, & renuiſtis, cùm per antiquos Patres, Sanctoſque Prophetas ſim locutus. Illuxit omnibus clariſſimus radius altiſſimæ majeſtatis per naturalem legem omnium cordibus inſculptam, per præcepta moralia tabulis impreſſa, & publicè expoſita; ſed clauſiſtis oculos mentis, odiſtis lucem, tenebras amaſtis. Vos ut clemens Pater percuſſi, & per omnia myſtica membra percuſſi: percuſſi Reges, qui ſunt Populi caput; percuſſi Sacerdotes, qui ſunt cor Reipublicæ; percuſſi pedes, nempè reliquum populum, nec tamèn hæc vos in officio continere potuerunt, aut ab iniquitate revocaverunt: quid ergò ſupereſt, niſi ut ampliùs non percutiam.

II. Hæc derelictio ſumma quædam eſt omnium plagarum, ſi conſulamus divinarum ſcripturarum teſtimonia. Celebris eſt locus ejuſdem Iſaiæ Prophetæ Cap. 26. verſu 10. ubi legimus: *miſereamur impio, & non diſcet Juſtitiam*: Quæ quidem verba præclarè à Divo Bernardo ſic exponuntur. Sermone 42. in Cantica: *tùnc magis iraſcitur Deus, cùm non*

Digitized by Google

non iraſcitur; miſereamur, inquit, impio, & non diſcet facere juſtitiam: miſericordiam hanc ego nolo, ſuper omnem iram miſeratio iſta ſapiens mihi vias Juſtitiæ; Satiùs profectò mihi juxtà Prophetæ conſilium apprehendere diſciplinam, nequandò iraſcatur Dominus, & peream de viâ juſtâ. Volo, iraſcaris mihi Pater miſericordiarum, ſed illâ irâ, quâ corrigis devium, non quâ extrudis de viâ, illud nobis tua benigna animadverſio parit, hoc formidoloſa nutrit diſſimulatio: cùm enim ſentio te iratum, tùnc maximè confido propitium; etenim cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.

III. Quod verò exerceat Deus miſericordiam ſuam, quandò punit peccatores, & variis calamitatibus affligit, probat Sanctus Doctor ex verbis Pſalmi 98. nempè. *Deus tu propitius fuiſti eis, & ulciſcens in omnes adinventiones ipſorum:* ubi ait: *Moyſen loquitur Aaronem, & Samuelem, quos præmiſerat, & hoc vocat propitiationem, quod eorum non pepercit exceſſibus*. Indignari Deum in peccatores, quandò ipſos non punit, & hoc eſſe maximam pœnam, colligitur ex Ezechielis Cap. 16. verſu 42. poſtquàm enim exprobraſſet ſcelera populi ſui, & enumeraſſet delicta, quibus divina juſtitia provocabatur, hoc minitatus eſt ſupplicium tamquàm omnium pœnarum ſummam: *& requies eſt indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar ampliùs*. Quæ quidem verba optimè poterunt interpetrari, ſi legantur ea, quæ habet Divus Auguſtinus

nus ſermone 37. de Verbis Domini, nempè: *magnæ, inquit, miſericordiæ eſt nequitiæ impunitatem non relinquere, & ne cogatur in extremo gehennæ damnare, modò flagello dignatur caſtigare. Nàm vis noſſe nulla pœna, quanta ſit pœna, pſalmum interroga: irritavit Dominum peccator, exclamavit vehementer, attendit, conſideravit, exclamavit. Irritavit Dominum peccator; quare obſecro? quid vidiſti? qui autem hoc exclamavit, vidit peccatorem impunè luxuriantem, malèfacientem, bonis abundantem, & exclamavit; irritavit Dominum peccator: quarè hoc dixiſti? quid enim vidiſti? Præ magnitudine iræ ſuæ non requiret. Intelligite fratres Chriſtiani miſericordiam Dei, quandò caſtigat mundum, non vult damnare mundum; præ magnitudine iræ ſuæ non exquirit. Ideò non exquirit, quià multùm iraſcitur. Magna eſt ira ejus, parcendo ſævit, ſed juſtè ſævit; eſt enim ſeveritas, quaſi ſæva veritas. Si ergò aliquandò ſævit parcendo, bonum eſt nobis, ut ſubveniat caſtigando.* (habentur Tomo 10. editionis antiquæ Pariſienſis.)

IV. Quod per ſubtractionem flagelli, & pœnarum Deus obſtinatos, ac cæcos puniat peccatores, non ſolùm cognoſcitur ex iis, quæ jàm attulimus, teſtimoniis, ſed clariſſimè inferri poteſt ex Oſee Cap 4 verſu 14. ubi in atrociſſimorum pœnam delictorum hæc minitatur Deus: *non viſitabo ſuper filias veſtras, cùm fuerint fornicatæ, & ſuper Sponſas veſtras, cùm adulteraverint*; majorem profectò pœnam judicans non punire delictum, hominesque

in

Digitized by Google

in illius poteſtate relinquere, quàm tendere arcum ultionis, vibrare ſagittas pœnarum, & juſtiſsimæ iræ omnes phialas effundere in eos, qui majeſtatis imperium contempſere, ſanctiſsima jura violarunt voluptatibus indulgentes. Quæ quidem expendens Origenes homiliâ 8. in Exodum: *Vide*, inquit, *miſericordiam, pietatem, ac patientiam boni Dei, quandò vult miſereri, indignari ſe dicit, & iraſci, ſicut per Jeremiam Cap. 6. ait, dolore, & flagello caſtigaberis Jeruſalem, utine abſcedat anima mea abs te. Hæc, ſi intelligis, miſerantis Dei vox eſt, ubi iraſcitur, & zelatur, ubi adhibet dolores, & verbera; flagellat enim omnem filium, quem recipit ad Hebræos* 12. *Vis audire indignantis Dei terribilem vocem, audi, quod dicit per Oſeam Cap.* 4. *cùm enumeraſſet multa neſanda, quæ Jeruſalem commiſerat, addit; non viſitabo ſuper filias veſtras, cùm fornicantur, neque ſuper nurus veſtras, cùm mæchantur.*

V. Deum miſericordem eſſe, dùm punit, non ſolùm teſtatur Regius Pſaltes, qui ait, *cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*, ſed Iſaias Cap. 40. qui ſummam exiſtimat ſui populi felicitatem, quod à Domino tamquàm à benigno patre flagellis, ac pœnis corripiatur, ait enim: *Conſolamini, conſolamini popule meus, dicit Deus veſter; loquimini ad Jeruſalem, & advocate eam, quoniàm completa eſt malitia ejus; accepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis.* Quem quidem locum ità exponere poſſumus juxtà ea, quæ habet Gregorius Lib. 7. Moralium

Digitized by Google

lium Cap. 7. *quià Sancti viri corruptionis ſuæ vulnus ſine putredine non eſſe conſiderant, libenter ſe ſub manu medici ad ſectiones parant, ut aperto vulnere virus peccati exeat. Id quod idem Job luculentiùs ſignificavit, ſubiungens: & hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore non parcat: electi quippè cùm perpetraſſe ſe illicita noverunt, & tamen perſcrutantes inveniunt, quod nulla pro illis adverſa perpeſſi ſunt, in immenſæ formidinis terrore tabeſcunt, ne in æternum ſe gratia deſerverit, quos in præſenti vità mali ſui retributio nulla caſtigat, & propterea feriri paternà correptione deſiderant, & dolorem vulneris medicamen ſalutis putant.*

VI. Flagella divina, quibus peccantes excitantur, & corriguntur, paternum ergà nos ſummi Patris amorem indicare, ſubtractionem verò eorumdem maximum eſſe, ac tremendum ſupplicium, duobus præcipuè in locis Davidici Pſalterii nobis declaratur. Unum jàm attigimus, ſed explicationis gratià iterùm repetemus. Pſalmo enim 98. legimus: *Deus tu propitius fuiſti eis, & ulciſcens in omnes adinventiones eorum*: quo in loco Deus propitius appellatur, quià juſtiſsimà ſuà ultrici dexterà temporalium pœnarum flagello errantes correxerit, declinantes à divinis mandatis puniverit, cujus ſupplicii utilitatem non ſemèl nobis commendat, præcipuè Pſalmo 118. *bonum mihi, quià humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas.*

VII. Alter locus, quo nobis exponitur, Deum

tunc maximè iraſci, cùm non iraſcitur, eſt Pſalmi 80. ubi poſtquàm Deus ad amorem, atque obſequium ſibi debitum Populum invitaſſet, dicens: *Iſrael ſi audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum &c.* Statìm conqueritur: *& non audivit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi*. Quod ſi quæras, quibus ſuppliciis afficientur illi, qui tàm grave delictum commiſerunt, eadem tibi divina eloquia reſpondebunt: *dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis*. Dimiſi eos: O formidabile ſupplicium! Si Pater, aut Mater filium dimittat, cujus pedes vitio laborant, & caput aſcendentibus ad cerebrum noxiis vaporibus frequentèr gravatur, neceſſe eſt, ut miſerrimè corruat: ità ſi Deus dimittat peccatores, dimittendo puniet; ambulant enim per lubrica, aſperaque loca, languent, torpent, infirmantur, quià non ambulant in lege Domini, & prava deſideria, quibus avertuntur à Deo, eos ducunt ad perditionem. Dimiſi eos: requiramus myſterium. Deus miſericordiam ſuam oſtendit, cùm tenet, nàm Pſalmo 15. verſu 8. dixit Propheta: *providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniàm à dextris eſt mihi, ne commovear*, & verſu 11. *delectationes in dexterà tuà*. Itèm Pſalmo 72. verſu 34. *tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tuà deduxiſti me, & cùm glorià ſuſcepiſti*: & Pſalmo 138. *& tenebit me dextera tua*. Miſericors eſt, cùm tenet, nec dimittit, niſi dimit-

Digitized by Google

dimittatur, undè ajebat Sponſa in Canticis: *inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*: & quemadmodùm miſericors Deus eſt, cùm tenet, juſtus eſt etiàm, cùm dimittit: *juſtitiâ*, inquit David Pſalmo 47. *plena eſt dextera tua*: juſtum eſt ergò, ut qui non apprehendunt juſtitiam, cujus eſt plena divina dextera, ab eâdem dexterâ dimittantur: juſtum eſt, ut qui invenire noluerunt dexteram, quâ tenerentur, ne corruerent, ne perirent, jàm dimiſſi inveniantur à dexterâ, quâ non teneantur, ſed puniantur: undè Regius idem Propheta Deum ultorem ſcelerum deprecabatur Pſalmo 20. verſu 9. *dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt*. Ibunt in adinventionibus ſuis, hoc eſt poſt deſideria ſua. Undè Sophoniæ Cap. 1. verſu 8. *Væ ei, qui abit vagus in viâ cordis ſui; Væ filiæ vagæ, quæ deliciis diſſolvitur*. Et expreſſiùs Judas in ſuâ Epiſtolâ Catholicâ: *Secundùm deſideria ſua ambulant, hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos animales, ſpiritum non habentes*. Hæc prava deſideria, atque opera, in quibus ire dicuntur, appellantur adinventiones; nàm in illo miſerrimo ſtatu, in quo reperiuntur peccatores, nova ſemper ad perniciem ſuccedunt, & nova proponuntur, quæ tamen fallacia, & vana ſunt. Cor eorum vanis deſideriis plenum eſt, & de eo dici poteſt: *cor eorum vanum eſt*: ſeu quod dicitur Eccleſiaſtici 34. *ſicùt parturientis cor tuum phantaſias patitur*. Quemadmodùm enim cum fœta gravatur mulier,

variis plerumque deſideriis diſtrahitur, ipſamque agitant, & in diverſas agunt partes tàm variæ, tàmque diverſæ rerum ſpecies, quæ phantaſiæ occurrunt: ità peccator, qui parturiit iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem, trahitur, & patitur; dum trahitur à variis ſuis deſideriis, à culpà commiſsà, nec tamèn advertit, quò pergat, quò ducatur, quià ſcelera in habitum, moreſque tranſierunt. Ibunt in adinventionibus ſuis, fingentes ſibi novam legem, quà poſſint in hàc vità omnibus ſuis voluptatibus indulgere, & alterius præmia conſequi; fingentes Deum, qui tantùm miſericors ſit, & non juſtus, immò adinvenientes tot recentes Deos, quot crimina quotidiè committunt. Nàm, ut ait Divus Hjeronymus in Pſalmum 80. *quæcumque vitia habemus, & quotcumque peccata, tot recentes habemus Deos: iratus ſum, ira mihi Deus eſt; vidi mulierem, & concupivi, libido mihi Deus eſt. Unuſquiſque enim quod cupit, veneratur, hoc illi Deus eſt.*

VIII. Ut autem iterùm revertamur ad verba Iſaiæ: *ſuper quo vos percutiam ultrà &c.* clariſſimà ſimilitudine nos docebit Oſeas, quam grave ſupplicium ſit non puniri, & ad quam miſeriam illi redigantur, qui non excitantur ad pœnitentiam per flagella temporalia. Similitudo, quam adducit Oſeas, habetur Cap. 4. ejuſdem verſu 16., enumerans enim varia populi ſcelera, quibus iram divinam provocabat, ſtatim ait: *quoniàm ſicùt Vacca laſci-*

ſciviens declinavit Iſrael, nùnc paſcet eos Dominus, quaſi agnum in latitudine. Converte oculos ad virentia prata, quæ depaſcunt armenta, vaccam ibi intuère amoris furore correptam; ardent pupillæ per diverſa vagantes, fumant nares, jàmque frequenti, & ad amoris nutum repetito mugitu ſilentes auræ perturbantur, hùc, atque illùc excurrit ferox, & acres ſtimulos abditâ flammâ ſubminiſtrante urgetur, ſaltat; non timet camporum divortia, non murorum confinia reveretur, interiectas ſpinarum ſepes pede, cornu diſſipat, convellit, per plana, per aſpera, per deſerta taurum vocantem ſequitur; paſtoris vocem non audit, dominum repellit. Hæc eſt eorum imago, qui excuſſo jugo ſuaviſſimæ legis non ſupplicia, non pericula formidantes, poſt voluptates abeunt, pravis deſideriis traduntur. Nùnc paſcet eos Dominus quaſi agnum in latitudine. Nec felicitatem exiſtimes, quod agnus liberè excurrens, exquiſitis paſcatur herbis, nec jàm aut paſtoris voce ad totius gregis veſtigia dirigatur, aut terreatur virgâ. Paſcitur iſte agnus forte non invidenda, pingueſcit ad interitum; citò ſentiet manum occidentem, qui miſerrimæ traditus libertati flagellum non ſentit: non diù vivet, etiamsì parùm diſtet à grege. Hanc Oſee ſimilitudinem ad peccatorem referamus, & ad unius Prophetæ expoſitionem alium Prophetam vocemus. Attentè legamus verba Pſalmi 72. ubi ille divinæ bonitati gra-

Digitized by Google

gratias agit, eò quòd homines bonos paterno amore conplectatur, & canit: *quàm bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde!* Convertit oculos ad peccatorum felicitatem, quaſi quod illa gravis quædam eſſet tentatio ad juſtitiam deſerendam, cùm impii plerumque bonis fruantur, nec mortis horrore concutiantur tranquillè viventes, & non diù in hàc vitâ durent eorum infirmitates: *mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, quià zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns; quià non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plagâ eorum.* Sunt autem myſterio plena, quæ ſubſequuntur verba verſu 5. *in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Non eſt hominum labor, hæc tanta caducarum rerum ſollicitudo, hæc inſatiabilis habendi cupiditas, quæ torquet, affligit, & perniciosâ exercitatione diſtrahit à Cœlo animam. Non eſt hominum labor, ſed irrationabilium animalium ventri, ac gulæ indulgere: non eſt hominum labor, ſed ferarum homini inſidias parare, devorare innocentem, lædentem lædere, humanum ſanguinem fundere. Hominum labor eſt, rationis imperio voluptates cohibere, in adverſis fortitudinem, in arduis Prudentiam oſtendere; cum Libidine, cum Audaciâ, cum Intemperantiâ, cum Irâ, cum Avaritiâ dimicare; æmulari Angelos, & aſſiduâ imitatione bonorum ad immortalitatem contendere. In hoc labore non ſunt illi, quos ſcelera

Digitized by Google

in belluas converterunt, transformarunt: indigni ſunt, qui hominum ſupplicia patiantur, habent communes cum belluis voluptates, non habeant commune cum hominibus ſupplicium: non flagellabuntur cum hominibus ſummo in ſubtractione flagelli ſupplicio affligendi: *ideò tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate, & impietate ſuà, prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis.* En ut ſe jactant, cùm vident juſtos calamitatibus torqueri, en ut temporalem felicitatem vertunt in fomentum delictorum, in deteſtandæ impietatis augmentum, qui tenebantur ſuperbià, ne ad pulcherrimam humilium regiam evolarent, ità limo terrenorum affectuum ſunt infixi, ut in ipſos tranſierint: *tranſierunt in affectum cordis.* Vide cum Oſee paſcentem agnum in latitudine; vide cum Davide peccatores à flagello ſemotos ſuis voluptatibus nutriri; ſed cum Davide infeliciſſimum iſtius felicitatis exitum intuère, legimus verſu 18. *dejeciſti eos, dum allevarentur,* & verſu 19. *quomodò facti ſunt in deſolationem, ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam.* Facti ſunt in deſolationem, qui flagello non corripiuntur, non emendantur. Verſu 20. *velùt ſomnium ſurgentium Domine, in civitate tuà imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* Vide, ut ſurgentes è ſomno deperdant imagines, quas in ſomniis conceperant; & conſidera, quæ habentur Pſalmo 77. verſu 65. *excitatus eſt tamquàm dormiens* Do-

Digitized by Google

Dominus &c. Jàm excitant iram divinam commiſſa delicta. Non erant in labore hominum peccatores, qui non flagellabantur cùm hominibus. Impii in hàc miſerrimà felicitate conſtituti, homines imitantur, ut peccent, beſtias, ut vivant; ergò homines non ſunt, ſed imago hominum; hanc imaginem hominum ad nihilum rediges.

verſ. V. verſ. VI.

Omne caput languidum, & omne cor mœrens; à plantâ pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas: Vulnus, & livor, & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo &c.

LECTIO VIII.

I. *QVicumque in cæteros principatum exercet, caput eſt, adeòque illi neceſſaria ſunt, quæ in naturali capite requiruntur. Brevis anatomica demonſtratio influxus capitis. II. Cor myſtici corporis ſunt Sacerdotes: Cordis officium explicatur, & cur in vehementi timore palleſcant genæ, erigantur comæ, vox hæreat faucibus. III. Cor mœrens Sacerdotes, qui religionis miniſteria neglexerunt. Uudè mœror cordis proveniat, anatomicè diſquiritur, & ad moralem ſenſum reducitur. IV. Unctiones olei uſu receptæ apud veteres. V. Axiomata Hippocratis, & Galeni de unctionibus vulnerum, & accurata locutio noſtri Prophetæ. Verba Lucæ Cap.* 10. *de viro à latronibus vulnerato brevitèr exponuntur. VI. Plaga tumens moraliter vitium ſuperbiæ, Oleum divina Miſericordia, quæ debet implorari. VII. Oleum etiàm effuſum eſt nomen, & vir-*

tus Chriſti. Variæ expoſitiones ex Sacrà Scripturà referuntur. VIII. Difficilis locus Apocalypſis Cap. 13. verſu 8. explicatur, cur agnus dicatur occiſus ab origine Mundi. IX. Effectus, qui prædicuntur, ſolent prædicentibus attribui. Multa de hàc re Prophetarum teſtimonia. X. Cur Sponſa oleum effuſum appellet nomen ſui Sponſi. Etymologia nominis Jeſu, & Meſſia ex hebraicà linguà.

I. Miſerrimum Populi ſui ſtatum deſcribit Propheta, & exemplo corporis variis infirmitatibus oppreſſi, infecti pernicioſis humoribus Judæorum Rempublicam peccatorum labe ità corruptam, & contaminatam eſſe affirmat, ut cùm nullum in eà ſanum membrum reperiatur, nullumque medicamentum applicetur, evidens periculum diſcernatur, in quo omnis ſalus ſit deſperanda. Nomine capitis juxtà communem Interpetrum ſententiam intelligit Propheta Reges, à quibus populus dirigitur, & gubernatur. In capite autèm myſtico ea debent reperiri, quibus caput naturale præditum eſt, ut membra ſibi ſubjecta gubernet. Videt, audit, loquitur, odorat. Debet Rex videre prudentià, ac dexteritate præſentia, providentià, ac ſagacitate futura; audire auribus miſericordiæ, & clementiæ voces clamantium in miſeriis, & expoſtulantium auxilium in anguſtiis; loqui linguà juſtitiæ, & vocibus ſuarum legum ea, quæ alliciant

Digitized by Google

ciant ad virtutem, deterreant ab impietate; odorare bonorum morum fragrantiam, eàque delectari admittendo conſilia bonorum, malorum conatus reprimendo. Nàm Proverb. 20. *diſſipat impios Rex ſapiens*, & ut verſu 8. ejuſdem capitis legimus: *Rex, qui ſedet in ſolio Judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo*. Quemadmodùm ex capitis vigore ſuum quoque vigorem membra ſortiuntur; nàm per occipitis foramen ex cerebro ad medullarem ſpinam, ad nervos, quibus oſſa colligantur, atque ad cæteras corporis partes humor quidam vitalis transfunditur tamquàm ex fonte, ipſoque capite languente languent, atque infirmantur ſubiecta membra: Ità ſi caput myſticum humanæ ſocietatis ſapientiæ vigore deſtituatur, & lentè influat in membra ſubiecta, omne profectò eorum robur eneruabitur, & mira tanti corporis compago diſſolvetur. Eccleſiaſtici Cap. 10. legimus: *Rex inſipiens perdet populum ſuum*. Quemadmodùm caput corporei vigoris ſedes dicitur, ac fundamentum, ipſique infirmo omnium membrorum languor, & torpor attribuitur: ità ſolent populi crimina dominantibus imputari, percutique myſticum corpus in capite, ut emendetur in membris, cùm Habacuc Cap. 3. expreſſum ſit: *percuſſiſti caput de domo impii, denudaſti fundamentum ejus uſque ad collum*; & ut per caput intelligeremus dominantes, ſtatìm ponitur: *maledixiſti ſceptris ejus*.

II. Per cor Sacerdotes intelligi ſacri Inter-

Digitized by Google

petres declarant, quemadmodùm enim cor omnium eſt affectuum, totiuſque vitæ principium, primum, quod in homine generetur, ultimum, quod intereat; videmus enim in primà partuum procreatione cor palpitare, & exilire, videmus ipſum in corpore eſſe conſtitutum ad præſidium vitæ. Quæmadmodùm in benè conſtructà urbe, ſi mœnia hoſtibus circumcluſa, vallo ſepta, ferro, igne, ariete proſternantur, tutius quoddam propugnaculum cernitur, ad quod cives confugiant; in admirabili ſtructurà humani corporis cor propugnaculum eſt, cùm vita noſtra mœroribus referta, vehementiſſimis doloribus cruciata, cùm virtus intollerabili lacerata acerbitate omni conatu ad cor tanquàm ad ultimum vitæ præſidium horribili totius naturæ impetu recurrit, ut vitæ princeps, quoad fieri poteſt, tueatur: Quemadmodùm cor totius vitæ firmiſſimam eſſe arcem docet Ariſtoteles 3. de partibus Animalium Cap. 7., docet rerum omnium magiſtra experientia, cùm enim aliqua nobis terribilia obiciantur, tùnc internà palpitatione pectus concutitur, palleſcunt genæ, eriguntur horrore comæ, algent manus, contremiſcunt labia, vox faucibus hæret, tùnc

frigidus horror
Oſſa quatit, gelidúſquè coit formidine Sanguis.

quià totius corporis robur, quod in cæteris partibus recludebatur, ipſis relictis ad cor ſolet confugere,

gere. Ità à corpore naturali ad myſticum corpus ductà ſimilitudine, Sacerdotes cor ejus nuncupantur; inſtituti enim ſunt, ut ſacrificia offerant Deo, ut orent pro populo, ut promoveant, quæ ſpectant ad religionem, in quà humana ſocietas ſubſiſtit, quà omnia imperia firmantur, quà eversà omnia corruunt, & evertuntur.

III. Quemadmodùm igitur per caput languidum Iſraelitici populi Principes ſapientià, prudentiàque deſtitutos ſignificavit; ità per cor mœrens Sacerdotes indicavit, qui ſuæ dignitatis immemores propria religionis miniſteria neglexerunt, & contempſerunt leges divinæ charitatis; & ſicut per languorem omnes capitis infirmitates exprimuntur, ità per mœrorem deſcribitur ſtatus myſtici cordis, nempè Sacerdotum. Eſt autèm cor mœrens, cùm anguſtiatur, obſtruentibus videlicet humoribus vaſa, quibus ſanguis vehitur, & revehitur, & efficientibus illius curſum tardiorem: Contrà verò dicitur lætari, cùm dilatatur, undè lætitia cordis quædam latitia eſt. Cor mœrens ſunt Sacerdotes, qui cùm ex officio teneantur divinum cultum propagare, quæ ad religionem ſpectant, in aliorum cordibus inſinuare, lacte ſapientiæ populos enutrire, in proprii corporis culturà torpeſcunt, in ipsà donorum affluentià ſeſe tardiores oſtendunt: undè *Coagulatum eſt ſicùt lac cor eorum*: mœrore non conficerentur, *ſi dùm anguſtiantur vaſa carnis*, *dilatarentur*

tur ſpatia charitatis; ſi cæteris in lege Domini ambulantibus, ipſi currerent, ajebat enim David Pſalmo 118. *viam mandatorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Non affligitur, qui in latitudine ambulat, & quià latum eſt nimis divinum mandatum, ille ambulat in latitudine, qui non tantùm more totius populi divinis mandatis obtemperat, ſed diligenter exquirit, quid lex jubeat, quid prohibeat, ut non tantùm ipſe obſervet, ſed alios obſervare doceat; quà ex re veræ letitiæ fructus percipiuntur juxtà prophetica eloquia ejuſdem Pſalmi 118. *& ambulabam in latitudine, quià mandata tua exquiſivi.*

IV. *Plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Olei unctiones uſu receptas fuiſſe apud veteres, tàm Prophetæ teſtimonio, quàm aliorum divinorum, humanorumque librorum auctoritate didicimus; cùm enim oleum non inutile ſit adversùs venena remedium, cùm nihil eo ſubtiliùs, atque efficaciùs res ſubeat, atque pervadat, ut refert Ariſtoteles Problem. 22. ſect. 31. quod multò anteà expreſſerat David Pſalmo 108. *& intravit ſicùt aqua in interiora ejus, & ſicùt oleum in oſſibus ejus.* Athletæ antequàm ad certamen deſcenderent, ſeſe oleo ungebant, non ſolùm ut adverſariorum manus tenere, ac deprehendere volentes, lubricà unctione facillimè declinarent, ſed ut contractas corporis fibras, nervoſque ad pugnam promptiùs, atque expeditiùs laxarent;

Anti-

Antiqui etiàm oleo caput perfundebant, cùm crederent ipſum plurimùm conferre ad intimos ſpiritus excitandos. Hæc conſuetudo innuitur Eccleſiaſtes Cap. 9. *omni tempore veſtimenta tua ſint candida, & oleum de capite tuo non deficiat*.

V. Obſervare debemus accuratam dicendi proprietatem in verbis Iſaiæ aſſerentis, plagam tumentem non fuiſſe *oleo fotam*. Quamvis enim, ut ex Hippocrate, atque Galeno Valleſius Philoſophiæ ſacræ Cap. 87. obſervat, ſimplicia vulnera oleo non indigeant, cùm oleo læditur id, quod ſordidum eſt, & putredini valdè diſpoſitum, adeòque exiccatione indigens; ſunt tamèn aliqua, quibus ſummàm utilitatem oleum afferat, illa videlicet, quæ contuſione fiunt, in quibus opus eſt, ut exteriores partes emolliantur. Hàc fortaſſe de causà, ut legimus Lucæ Cap. 10. Samaritanus ille pertranſiens, & jacentem, & vulneratum videns illum, qui in crudeles manus latronum inciderat: *appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum*; aliqua enim debebant eſſe aperta, & quæ exiccatione indigerent, quibus vinum infuſum eſt, illa verò, quibus infuſum eſt oleum, ità tumentia, ut unctionis ſubſidio eſſent fovenda.

VI. Quià verò Propheta vitia ſui populi redarguit, ac vehementèr dolet, paucos admodùm reperiri, qui veram juſtitiam ſectentur, nemo inficiabitur, cum non litteraliter, ſed figuratè loqui, cùm

cùm de plaga tumente ſermo eſt. Per hanc igitùr debemus intelligere ſuperbiæ vitium, & in eo omnia alia voluntaria crimina, quibus Iſraeliticus populus contaminabatur; cùm plerumque & ſuperbi intumeſcere dicantur, & ſuperbia omnium ſit radix vitiorum, omnium criminum exitialis fons, & origo: Deuteronomii Cap. 1. verſu 43. legimus: *locutus ſum, & non audiſtis, ſed adverſantes imperio Domini, & tumeſcentes ſuperbià aſcendiſtis in montem*. Cap. verò 17. verſu 13. imponitur pœna mortis ei, qui noluerit obedire Sacerdoti, ac imperio Judicis, *ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbià:* Cap. verò 18. verſu 22. etiàm nomine tumoris ſuperbia ſignificatur, dùm hoc datur conſilium, ut verum à falſo Prophetà diſcernamus: *quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit*. Sancti etiàm Patres per tumorem, ſuperbiam intelligendam eſſe docuerunt, inter quos Divus Chryſoſtomus homilià 17. in 1. Timoth. ſic habet: *quod in corporibus tumor, hoc in animabus ſuperbia eſt, ſicut enim illìc, quod immodicè turget, ſanum non eſſe, ità & tumidos carere ſanitate, dicimus*. Divus Auguſtinus in Pſalm. 36. hunc impiorum tumorem fumo comparavit; inquit enim: *fumus à loco ignis erumpens, in altum extollitur, & ipsà elatione in globum magnum intumeſcit, ſed quantò fiet globus ille grandior, tantò fit vanior; ſic impius magis exaltatur, tantò citiùs deficit*. At que-

Digitized by Google

quemadmodùm per tumentem plagam myſticè denotavit Propheta vitia animi, & inter cætera vitia ſuperbiam, ità per oleum, quo debebat foveri plaga, aliquid eſt myſticè intelligendum. Et primò non eſt fota oleo plaga illà tumens, quià intèr tot, tantaſque miſerias, quibus ingratus ille populus afficiebatur, divinam miſericordiam non implorabat, quæ tamquàm oleum in omnes abundè diffunditur: videatur Gregorius in lib. Regum lib. 4. Cap. 5. in 1. Regum Cap. 10. ubi inquit: *oleum ignem fovet, oleum vulnera curare conſuevit; per illud ergò miſericordiæ bonum ſignificat, quià ſcriptum de Domino eſt, miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*. Legimus etiàm Pſalmo 32. *Dominus diligit miſericordiam, & judicium, miſericordià Domini plena eſt terra*, quæ pariter exprimuntur Pſalmo 118. Hìnc Pſalmo 51. poſtquàm tremenda peccatoris ſupplicia enunciantur, ſtatim dicitur à Prophetà: *videbunt juſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent; ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum, & prævaluit in vanitate ſuà; ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei ſperavi in miſericordià Dei*. Vide, ut in ſperantes in ſe divina miſericordia diffundatur: En qui miſericordiam implorabat, tanto eſt myſtico oleo perfuſus, ut factus ſit ſicut oliva fructifera.

VII. Sed ùt profundum myſterium altiùs contemplemur, diſcamus à caſtiſſimà Sponsà, quale

le ſit illud myſticum oleum, & audiemus, quo encomio laudis dilectiſſimi ſui Sponſi nomen extollat: *oleum effuſum*, Canticorum 1. inquit, *eſt nomen tuum, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te*. Et quià per nomen ſolet etiam virtus ſignificari, & nomen ipſum, quod profertur; Virtus quidèm, ut habetur Pſalmo 43. *in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nos*. Matthæi 15. *ego veni in nomine patris mei*. Utrumque autèm promiſcuè Actorum 9. ubi Paulus fiducialitèr dicitur egiſſe in nomine Jeſu. Joannis 21. *ut credentes, vitam habeatis in nomine Jeſu*, & Pſalmo 53. *Deus in nomine tuo ſalvum me fac, & in virtute tua judica me*. Proverbiorum 10. verſu 10. *turris fortiſſima nomen Domini*: Jàm videtur, oleum effuſum tàm Salvatoris virtutem, quàm ipſius nomen ſignificare. Adoleſcentulæ enìm, quæ in illius ſeſe amore exercuerunt, ſunt animæ, quæ renatæ in fontibus Salvatoris veterem hominem exuerunt. Fuiſſe autèm neceſſariam fidem in venturum Meſſiam, Redemptoremque noſtrum, nemo eſt tàm imprudens, qui negare audeat: ad hoc tot inſtituta ſacrificia, tot cæremoniæ, tot ritus, ut homines per hæc ſenſibilia ad altiſſima myſteria traducerentur, Redemptoremque expectarent; ad hoc tot Prophetarum vaticinia verbis, factiſque expreſſa, de quibus latè egimus in diſſertationibus noſtris de ſacrificiis. Oleum hoc, virtutem ſcilicèt in omne mortale genus effuſam expectabant, implorabantque,

Digitized by Google

que, qui mortifero ſerpentis veneno infecti jacebant in miſeriis, vivebant exules à feliciſſimo domicilio Beatorum. Hinc Geneſis 49. verſu 18. legimus: *Salutare tuum expectabo Domine*. Habacuc 3. verſu 18. *ego autèm in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo*. Iſaiæ 45. verſu 8. *Rorate cœli deſupèr, & nubes pluant juſtum*; multaque nobis frequentiſſimè occurrent divina eloquia, quibus antiquorum Patrum vota ergà venturum Redemptorem, qui advenit in beatà temporum plenitudine, ſignificentur.

VIII. Hoc veluti jacto fundamento difficillimum Apocalypſis textum intelligemus. Nàm Cap. 13. verſu 8. cùm de beſtià illà horribili ſermo ſit, quæ belluas moveat adversùs juſtos, & Sanctos, & quæ univerſæ terræ exitialem peſtem nefariè moliatur, protinùs dicitur: *& adoraverunt eam omnes, qui inhabitabant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi*. Quæ quidèm ultima verba cùm in ſenſu litterali multis Interpetribus obſcura viderentur, eò quod & agnus dicatur ibi occiſus ab origine mundi, ea exiſtimarunt, per Hyperbaton eſſe intelligenda, atquè adeò hunc ſenſum reddere: qui non ſunt ſcripti ab origine mundi in libro agni, qui occiſus eſt. Nos autèm illa eſſe legenda, prout à Joanne exprimuntur, exiſtimamus cum Lorino in Cap. 4. act. Apoſt.: Conſiderantes præcipuè neceſſitatem ſæpiùs explicatam, quæ omnes obſtrin-

M 2 ge-

gebat, ut virtutem agni venturi implorarent, ipſumque expectarent.

IX. Nec alienum eſt à proprietate verborum Sacræ Scripturæ, quod videlicèt ipſe Agnus ab origine mundi dicatur occiſus; idem enìm eſt in hoc ſenſu dici occiſum, ac occiſum prædici, cùm ſoleant frequenter res prædictæ prædicentibus attribui. Sic Jeremiæ Cap. 1. verſu 10. *Ecce conſtitui te hodiè ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*: non legimus autèm, Jeremiam, aut diſperſiſſe, aut dextruxiſſe, ſed vaticiniis ſuis indicaſſe id, quod erat ædificandum, diſperdendum, & deſtruendum. Iſaiæ pariter Cap. 5. verſu 10. habetur: *excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava*; quod idem eſt, ac ſi poneretur, vaticinare, populum hunc eſſe excæcandum. Geneſis Cap. 49. in vaticinio Jacobi expreſſum eſt: *dividam eos in Jacob, & diſperdam in Iſraël*: quæ quidèm verba prolata ſunt ab ipſo Jacob morti proximo, & ad prædictionem referuntur. Ezechielis Cap. 43. verſu 3 in noſtrà vulgatà habetur: *& vidi viſionem ſecundùm ſpeciem, quam videram, quandò venit, ut diſperderet civitatem*; vertit ex hebræo textu Pagninus, *dùm venirem ad diſperdendum civitatem*, quæ verba, cùm in perſonà ipſius Ezechielis proferantur, ſunt ita intelligenda, non quod Propheta civitatem diſperſerit, ſed quod prænunciaverit diſperdendam. Agnus ergò, qui ab

ab origine Mundi in Apocalypſi dicitur occiſus, eſt agnus ab origine Mundi prænunciatus pro nobis occidendus, & propoſitus hominibus, ut in ipſum crederent, & in ejus miſericordià, ac virtute ſpem reponerent: *quam diverſis temporibus*, inquit Gregorius libro 28. Moralium Cap. 16. *Abel, Iſaias, & Joannes apparuerunt, diviſi quidem fuerunt tempore, ſed non prædicatione; nàm Abel Redemptoris noſtri paſſionem ſignificans, agnum in ſacrificio obtulit, de cujus paſſione Iſaias ait, ſicut agnus coràm tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum, de quo Joannes quoque ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi. Ecce diviſis quidèm temporibus miſſi, & tamèn concorditèr de Redemptoris noſtri innocentià ſentientes, eumdem agnum Joannes oſtendendo, Iſaias prævidendo, Abel offerendo loquutus eſt; & quem Joannes in oſtenſione, quem Iſaias in loquutione, hunc Abel ſignificando in manibus tenuit.*

X. Cùm autèm Sponſa oleum effuſum nomen ſui dilecti nuncupaverit, cùm David Pſalmo 44 ipſum præ conſortibus ſuis oleo lætitiæ unctum annunciet, jàm nomine ſuo debet omnis plaga foveri, ad ipſumque debemus recurrere, quem dedit Deus propitiatorem pro omnibus. Et profectò nomen admirabile Jeſu, ſi Hebraicam linguam conſulamus, Salvatorem ſignificat; Jeſus enìm Hebraicè dicitur יֵשׁוּעַ à radice, ſeù verbo יָשַׁע quod eſt, ſalvavit, *& non eſt in alio aliquo ſalus*; nec enim *alìud eſt ſub cœlo nomen datum hominibus, in quo oporteat*

nos

nos ſalvos fieri, ut legimus Actorum Cap. 4. hoc eſt admirabile nomen in universà terrà. Et nomen ſuper omne nomen datum Filio Dei, qui pro nobis factus eſt obediens uſque ad mortem. Hoc eſt myſticum oleum in omnes diffuſum: *undè putas*, inquit Bernardus Sermone 15. in Cant. *in toto orbe tanta, & tàm ſubita fidei lux, niſi deprecato nomine Jeſu?* & anteà omnes olei proprietates myſticè in eo reperiri affirmaverat, dicens: *oleum enim lucet, paſcit, & ungit, fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem...... lucet prædicatum, paſcit recogitatum, invocatum lenit, & ungit. An non totiès confortaris, quotiès recordaris? quid æquè mentem cogitantis impinguat? quid ità exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat bonos mores, atque honeſtos, caſtas refovet affectiones?* Maximum etiàm in ipſo nomine Chriſti, ſivè Meſſiæ, quod erat ab omnibus invocandum, reperiemus myſterium, ſi inquiramus, quid illud Hebraicè ſignificat, nàm Meſſias, ſivè Chriſtus in hac lingua מָשִׁיחַ dicitur, idèſt unctus à verbo מָשַׁח, quod eſt ungere.

verſ. VII.

verſ. VII.

Terra veſtra deſerta, civitates veſtræ ſuccenſæ igni: regionem veſtram coràm vobis alieni devorant, & deſolabitur ſicùt in vaſtitate hoſtili, & derelinquetur filia ſion, ut umbraculum in vineà, & ſicùt tugurium in cucumerario, & ſicùt civitas, quæ vaſtatur &c.

LECTIO IX.

I. IStæ prædictiones non tàm ad miſerias, & calamitates, quæ urbi Jeruſalem Chaldæi attulere, quàm ad vaſtationem per Romanos factam referendæ ſunt. II. Omnia mala prænunciata à Prophetis, & à Chriſto Domino, evenerunt propter ſcelera populi, & propter impœnitentiam. III. Mala, quæ futura prænunciantur, ſemper aliquàm tacitam conditionem involuunt; ſi videlicèt reſpiciant juſtos, hanc conditionem, niſi oraveritis Dominum; ſi reſpiciant peccatores, hanc alteram, niſi egiritis pœnitentiam. IV. Iſaiæ caput 38., & Exodi caput 32. adducuntur. V. Jonæ caput 3. conſideratur, & explicatur aliis Sacræ Scripturæ teſtimoniis; itèm præclara Hjeronymi, atque Auguſtini Doctrina.

I. Quod

I. QUod modò in ſenſu præſenti, modò in futuro loquatur Propheta, ad illam ſcientiam referendum eſt, quà homines ſpiritu prophetico inſtructi, & præterita, & præſentia, & futura cognoſcebant, ipſaque futura tamquàm præſentia prænunciabant, & hinc *Videntes* appellabantur. Hæ autèm prædictiones, quamvis etiàm referri poſſint ad tempora, quibus Chaldæi innumeras miſerias urbi Jeruſalem intulerunt, propriè tamèn ad illa tempora referenda ſunt, quibus per Romanos hæc eadem civitas vaſtata, depopulata, & funditùs everſa eſt: quæ quidèm non ignorabimus, ſi connectamus prævisiones hujus Prophetæ cùm prævisionibus Chriſti Domini, qui Lucæ Cap. 19. verſu 41. videns civitatem, flevit ſupèr illam, dicens: *quià ſi cognoviſſes & tu, & quidèm in hàc die tuà, quæ ad pacem tibi, nùnc autèm abſcondita ſunt ab oculis tuis, quià venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te undique, & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt: & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eò quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* Matthæi 23. verſu 37. *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quotiès volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti; eccè relinquetur vobis domus veſtra deſerta.*

II. Non

II. Non eſt hìc prætereundum, omnia mala, quæ tàm ab Iſaià in hoc capite futura enunciantur, & quæ Chriſtus Dominus non ſinè lacrymis prædixit, eveniſſe propter ſcelera populi, & propter impœnitentiam, atque obſtinationem eorum, qui tàm ſinceris vocibus, tàm manifeſtis oraculis, tàm iteratis vaticiniis ad pœnitentiam monebantur. Hoc oſtendunt verba jàm citata Lucæ Cap. 19., quibus tantorum malorum origo indicatur, nempè *eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ*. Hoc idem exprimit Iſaias verſu 20. iſtius capitis, cùm ait: *quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos, quià os Domini loquutum eſt*: quæ quidem ultima verba, quibus cauſalis adjuncta eſt, nempè *quià os Domini loquutum eſt*, non indicant, futurorum malorum cauſam eſſe divinas prædictiones, ſed hominum ſcelera, populique exterminium, ideò annunciari venturum, ut qui virtutis amore ad divina præcepta ſervanda non inducebantur, ſaltèm pronunciati terrore ſupplicii ab iniquitate revocarentur, & ad Deum converſi, à quo receſſerant, minitantem cervicibus ſuis divinæ Juſtitiæ gladium declinarent: & hìnc eſt, quod Jeremias horrendum urbis exterminium in ſuis threnis deplorans, & deſcribens, ad quas calamitates erat Civitas domina gentium redigenda, ſemper concludit: *Jeruſalem, Jeruſalem convertere ad Dominum Deum tuum*.

Digitized by Google

III. Hoc autèm jacto fundamento aliqua animadvertenda ſunt, quæ amplam, & ſpatioſam nobis viam aperient ad nonnulla Prophetarum vaticinia explicanda, in quibus aliqua mala enunciantur futura, quæ tamèn non evenerunt. Et præ cæteris conſiderandum nobis eſt, Prophetias, quibus aliqua futura calamitas prædicitur, vel reſpicere homines juſtos, vel homines peccatores: ſi ad hominem juſtum dirigantur, hanc plerùmque habent conditionalem adiectam; *niſi oraveris Dominum*: ſi ad peccatorem, hanc aliam, *niſi egeris pœnitentiam*.

IV. Pauca nobis iſtius rei exempla ſufficient ex Sacris Literis deſumpta. Unum eſt in Cap. 38. Iſaiæ expreſſum: *ægrotavit Ezechias uſque ad mortem, & introivit ad eum Iſaias filius Amos Propheta, & dixit ei: hæc dicit Dominus; diſpone domui tuæ, quià morieris tu, & non vives, & convertit Ezechias faciem ſuam ad parietem, & oravit ad Dominum, qui vocavit Iſaiam, & ei præcepit: vade, & dic Ezechiæ: hæc dicit Dominus Deus David patris tui: audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, ecce ego adiiciam ſuper dies tuos quindecim annos*. Erat Ezechias Rex juſtus, qui impios Idolorum Sacerdotes deleverat, Sacrilegas aras confregerat, & ſubiectum ſibi Regnum ad verum Dei cultum inflammaverat, unde mors ei prædicta per Prophetam hanc conditionalem exceptionem tacitè admittebat: *niſi oraveris Dominum*. Quæ qui-

quidèm conditio non fuit in mente loquentis reſtricta, cùm unicuique compertum ſit, quantùm ponderis habeant apùd Deum orationes juſtorum. Clarum eſt iſtius rei exemplum Exodi Cap. 32. verſu 9. cùm omnipotens Dominus, cujus iram rebellis populus provocaverat, armatam jàm jàm ad juſtam vindictam fortiſſimam ſuam dexteram ſuſpendit, repreſſit, ad Moyſen dicens: *dimitte me, ut iraſcatur furor meus*. Vide, quantùm valeant apùd Deum orationes juſtorum; rogat omnipotens, nè rogetur, & amore bonorum furorem in impios quandòque retardat. Quod ſi dùm juſti pro aliis licèt iniuſtis deprecantur, exaudiuntur, & obtinent, quantò magis, dùm petunt pro ſe, quod non eſt ab æternà ſalute alienum? Claræ ſunt Divinæ promiſſiones expreſſæ apùd Iſaiam Cap. 65. *eritque, antequàm clament, ego exaudiam, adhùc illis loquentibus ego audiam*. Joannis 16. *amèn, amèn dico vobis, ſiquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: & paritèr hæc eadem Matthæi 7. & 21. Notum eſt etiàm apùd homines, votis Deum placari; undè Martialis de Domitiano, quem venerabatur, ut numen, cecinit lib. 8. Epig.

Et Dominum Mundi flectere vota valent.

V. Quod verò illa vaticinia, quibus aliquid mali peccatoribus prædicitur, tacitè involuant conditionem, *niſi egerint pœnitentiam*; inter cætera Sacræ Scripturæ loca clariſſimè nobis probat Jonæ Ca-

Digitized by Google

Caput 3. legimus enìm verſu 4., quod idem Propheta à Deo in Ninivem miſſus, *clamavit, & dixit: adhùc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*: verſu tamen 10. habetur *: & vidit Deus opera eorum, qui converſi ſunt de viâ ſuâ malâ, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam loquutus fuerat, ut faceret, & non fecit*. Quæ quidèm nos ſuadent, Deum peccatorum pœnitentiâ placari, & mala, quæ eis prænunciantur eventura, evertenda eſſe per divinam Clementiam, ſi illi ad Deum convertantur; Deus, cùm iraſcitur, miſericordiæ recordatur. Iſaiæ pariter Cap. 55. *derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad Deum noſtrum, quoniàm multus eſt ad ignoſcendum*: quod multotiès inculcatur per ora Prophetarum, præcipuè Joelis Cap. 2. verſu 12. Quanta, quæ evenerunt mala, non eveniſſent, ſi illi, quibus prædicebantur, per pœnitentiam ad Deum fuiſſent converſi! Prævidebat Jeremias imminentia ſui populi mala, urbis excidium, & ſæpiùs repetebat: *Jeruſalem Jeruſalem convertere ad Dominum Deum tuum*. Et ipſemet Chriſtus verus Meſſias, dùm flevit ſuper ingratam urbem Lucæ Cap. 19. his verbis: *ſi cognoviſſes & tu, & quidèm in hàc die tuà, quæ ad pacem tibi*; tacitè indicavit, quod ſi ad Deum converſus fuiſſet populus ille ingratus, eximeretur à malis, quæ illi impendebant. De quo etiàm Pſalmo 7. peccatores admonebat Propheta:

Niſi

Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum. Nàm quemadmodùm promptà, & expeditâ corporis agitatione, & converſione minitantem nobis mucronem, & ſagittas, quæ à tenſo arcu jaciuntur, declinamus, ità ſi animus, qui terrenis voluptatibus hærebat, ad Deum promptè, atque expeditè convertatur per pœnitentiam, evitabit jacula divini furoris, & gladium, quo ſeſe in ſcelerum vindictam Judicis manus armaverat. Quod aliquo modo & Gentiles cognoverunt, nàm 1. de Arte cecinit Ovidius:

Flectitur iratus voce rogante Deus.

Divus Hjeronymus in Ezechielis Caput 33. agens de comminatoriis revelationibus, concludit: *At prædixit aliquid Deus: non prædixit, ut veniat, ſed ne veniat, & ideò comminatur, ut convertatur ad pœnitentiam, cui minatur.* Divus Auguſtinus in Cap. 2. Danielis: *ad preces, inquit, Ezechiæ, & Ninive Dei ſententia mutata eſt, non vanitate judicii, ſed eorum converſione, qui meruerant indulgentiam.* Quod clariſſimè explicat lib. 22. de civitate Dei Cap. 1. *cùm Deus mutare dicitur voluntatem, ut quibus lenis erat, verbi gratià, reddatur iratus, illi potiùs, quàm ipſe, mutantur, & eum quodammodò mutatum in iis, quæ patiuntur, inveniunt; ſicùt mutatur ſol oculis ſauciatis, & aſper quodammodò ex miti, & ex delectabili moleſtus efficitur, cùm ipſe apud ſe ipſum maneat, qui fuit.*

verſ. IX:

Digitized by Google

verſ. IX.

Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.
Verſu 9. Hebraicus textus habet: *reliquiſſet nobis ſuperſtites paucos.*
Chaldaicus
reliquiſſet nobis redemptionem.

LECTIO X.

I. Sacris Oraculis ſuadetur, quàm utilis ſit bonorum hominum ſocietas. II. Hominum impiorum pernicioſum conſortium probatur clariſſimis ſimilitudinibus ex antiquis Patribus deſumptis. III. Semen relictum ad ſalutem fuit Chriſtus verus Meſſias, teſtimonio Davidis, Auguſtini, quin etiàm ipſorum Judæorum. IV. Validiſſimum deſumitur argumentum ex hoc Iſaiæ verſu, & cùm eo connectuntur verba Apoſtoli ad Galatas Cap. 3.

I. QUàm utilis ſit bonorum ſocietas, & experientia docet, & Sacrarum litterarum teſtimonia confirmant. Inſtruimur Geneſis Cap. 18. quod cùm Deus Abrahamo juſtiſſimum ſuum judi-

dicium de delendis Sodomorùm urbibus pateſeciſſet, Abraham ſtabat coràm Domino, & appropinquans ait: *nunquid perdes juſtum cùm impio? Si fuerint quinquaginta juſti in civitate, peribunt ſimul? & non parces loco illi proptèr quinquaginta juſtos, ſi fuerint in eo? dixitque Dominus ad eum, ſi invenero in Sodomis quinquaginta juſtos in medio Civitatis, dimittam omni loco proptèr eos.* Hanc eamdem promiſſionem factam à Deo legimus, ſi inventi fuiſſent quadraginta quinque: nàm verſu 28. in fine habetur: *non delebo, ſi invenero ibi quadraginta quinque.* Itèm proptèr quadraginta, ut conſtat ex verſu 19. *non percutiam proptèr quadraginta.* Similiter proptèr triginta verſu 30. *non faciam, ſi invenero ibi triginta.* Verſu 31. *non interficiam proptèr viginti*: & demùm verſu 33. *non delebo proptèr decem.* Ex quibus divinis promiſſionibus colligimus, quàm utilis ſit bonorum ſocietas, & quàm deteſtandum impiorum hominum conſortium. Legimus etiàm Geneſis Cap. 31. Laban ob Jacobi ſocietatem fuiſſe ditatum: Et Cap. 39. propter Joſephum multiplicatam fuiſſe ſubſtantiam Phutipharis Eunuchi Pharaonis: habetur enim verſu 5. ejuſdem Capitis: *benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joſeph, & multiplicavit tàm in ædibus, quàm in agris cunctam ejus ſubſtantiam.* Quantùm profuerit ſapientibus Babylonis ſocietas Danielis, ejuſdem Daniel. Cap. 2. nobis narratur. Cùm enim Nabuchodonoſor Rex jàm decreviſſet, ut è medio tolleren-

tur

tur omnes Arioli, & Sapientes Regni ſui, quos ineptos repererat, ut occulta ſomniorum myſteria declararent, perſpectâ Danielis ſapientiâ omnibus pepercit; plurimùm apùd ipſum valuit, ne reliqui perirent, innocentis Prophetæ auctoritas, & patrocinium. Plenæ ſunt divinæ Scripturæ exemplis ſimilibus, & ipſamet æterna veritas Chriſtus Matthæi Cap. 13. docuit, quàm utile hominibus ſit inter homines bonos verſari. Cùm enim in Parabolà Eccleſiam ſuam agro comparaſſet, homines bonos optimo ſemini, homines verò malos zizaniæ, & cùm paritèr indicaſſet, quod ſervi Patrisfamilias noxia de fertili campo zizania eradicare volentes, illius præcepto conſilium mutaverunt: *Servi autèm dixerunt ei, vis, imus, & colligimus eam, & ait, non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cùm eis, & triticum*: tacitè nobis ſignificavit, quod ſi aliquandò mali homines tolerantur, non eſt ſine altiſſimæ Providentiæ conſilio, quæ ne bonos cùm malis deleat, aliquam impunitatem peccatoribus permittit intuitu bonorum, nec vult, perire cùm malis eos, quos ſegregatos à malis, & ad dexteram collocatos in non interiturà gloriâ diſtinguet. Quod quidèm exprimitur in fine parabolæ, ubi in perſona Patrisfamilias dicitur: *ſinite utraque creſcere uſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus, colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem ſegregate in horreum meum.*

II. Cùm

Digitized by Google

II. Cùm autèm tàm utilis ſit bonorum ſocietas, & illius intuitu improbi quandòque impunitatem aſſequantur, è contrariò inferre poſſumus, quantum detrimenti capiant, & in quali periculo illi verſentur, qui impiorum conſortium non fugiunt: *quis miſerebitur incantatori à Serpente percuſſo, & omnibus, qui appropiant beſtiis? & ſic qui comitatur cùm viro iniquo, & obvolutus eſt in peccatis ejus.* verba ſunt Eccleſiaſt. Cap. 12. verſu 13. Quod paritèr alià ſimilitudine innuitur Cap. 13. verſu 20. *Omnis caro ad ſimilem ſibi coniungetur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur, ſi communicabit lupus agno aliquandò, ſic peccator juſto.* Undè Divus Clemens lib. 6. recognit. inquit: *ſicùt ſæpè vidimus putrefactas, & emortuas corporis carnes à connexione viventium membrorum ferro ſecante ſeparari; tale aliquid eſt, quod agit veritatis agnitio; neceſſe eſt enim, ut ſalutis causà filius verbigratià, qui ſermonem recepit veritatis, à parentibus ſeparetur incredulis.* Clariſſimè autèm Chryſoſtomus homilià 28. in Matth. ait: *velùt lutum farinam, acetum vinum corrumpit, ità mali homines bonos; diſcedamus ergò à Babylone!* Seneca verò de tranquillitate vitæ lib. 1. Cap. 7. ait, *ut in peſtilentià cavendum eſt, ne corruptis jàm corporibus, & morbo flagrantibus aſſideamus, quià pericula trahemus, afflatuque ipſo in proximo laborabimus; ità in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, ut quàm minimè inquinatos aſſumamus.* Quàm deſiderandum autèm ſit bonorum hominum conſortium, & quam uber-

Google

rimos fructus ex juſtorum ſocietate capiamus, luculentè ſcripſit Philo in lib. de Migratione Abraham; inquit enim: *Vir juſtus, quaſi fulcrum, & firmamentum eſt generis humani bona ſua liberalitèr in communem hominum utilitatem, & publicum uſum afferens. Idem quidquid apud ſeipſum non invenit, à Deo bonorum omnium & poſſeſſore ditiſſimo, & benigniſſimo largitore poſtulat. At illi aperto cœleſti promptuario, nivis, imbriſque in morem affatìm depluit, ut indè omnes terreſtres lacunæ reſtagnent. Hæc autem Deus ſupplicationibus juſtorum hominum permotus largiri ſolet; dixit enim Moyſi, qui pro peccato Hebræorum ei ſupplicabat Exodi 32. propitius ei ſum juxtà preces tuas. Oremus igitur, ut tanquàm columna in domo, & mens in anima, ſic humano in genere vir juſtus permaneat ad calamitatum remedium; nàm hoc incolumi de ſalute publicà deſperandum non eſt; per hunc enim ſervator Deus præſtantiſſimam medicinam porrigit,quà oblinantur animæ vulnera per ignorantiam, iniuſtitiam,aliaque vitia mortalium animis inflicta. Exemplum eſt in Noe juſto Geneſis 7. qui generali diluvio terrarum orbe abſorpto fortitèr ſupernatans fluctibus, evaſit omni clade ſuperior: nec ipſe tantùm ſervatus eſt, ſed ex ſe amplas, pulchraſque radices emiſit, undè natum eſt genus ſapiens, & triplex ille celebratus omni ævo fructus, Abraham, Iſaac, & Jacob.*

III. Ut autèm, quæ in hoc verſiculo, *niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen*; animadverſione digna ſunt, non omittamus, affirmare poſſumus

mus, ſemen illud relictum, cujus intuitu Iſraeliticæ gentis reliquiæ conſervatæ ſunt, Chriſtum eſſe verum Meſſiam, ac reparatorem humani Generis: Quod, ut appareat, non ſine fundamento dictum eſſe, conferamus hoc Iſaiæ vaticinium cùm verbis ejuſdem Chriſti Matth. 23. verſu 37. nempè: *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quotiès volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos ſuos ſub alà, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Quibus verbis direptionem pulcherrimæ urbis, exterminiumque illorum prædixit, qui noluerunt ſummi magiſtri, verique Meſſiæ doctrinam recipere, & ſub firmiſſimo patrocinio collocari, ut ab exterminio, quod Deus ultionum per ſuorum Prophetarum ora minitabatur, liberarentur. Igitur Chriſtus fuit illud ſemen nobis ad præſidium relictum, & cui omnes illi, qui ſuperſtites remanſerunt, ſuam debent felicitatem. Hinc exoptabat Propheta, cùm cecinit Pſalmo 105. verſu 45. *Salvos nos fac Domine Deus noſter, & congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini ſancto tuo, & gloriemur in laude tuà.* Et erectus in ſummam ſpem divini patrocinii, dixit Pſalmo 146. verſu 2. *ædificans Jeruſalem Dominus, diſperſiones Iſraelis congregabit.* Redemptor noſter ille eſt, qui diſperſiones Iſraelis congregavit, & niſi hoc ſemen reliquiſſet nobis Deus, jàm exterminati, deleti, mortiſque æternæ

O 2 impe-

Digitized by Google

imperio traditi eſſemus. Audiamus præclaram Divi Auguſtini expoſitionem in ſupracitatum Pſalmum. *Ecce*, inquit, *ædificans Jeruſalem Dominus, colliget diſperſiones populi ipſius: populus enim Jeruſalem, populus eſt Iſrael. Eſt Jeruſalem æterna in Cœlis, ubi cives etiàm angeli ſunt: quid ergo ibi Iſrael? Si hominem illum nepotem Abrahæ conſideres, qui dictus eſt Jacob, quomodò Angelos intelligimus Iſrael? Si interpetrationem novimus, diſcutiamus (quià & ipſe Jacob mutato nomine vocatus eſt Iſrael) magis ibi nomen Iſrael, & utinàm, & nos ſequentes ſimus Iſrael. Quid enim interpetratur Iſrael? videns Deum. Omnes ergo cives illius civitatis videndo Deum, gaudent in illà magnà civitate, & cœleſti; Spectaculum eis Deus ipſe eſt. Sed nos ab illà civitate peregrinamur peccato expulſi, ne ibi remaneremus, & mortalitate prægravati, ne illò rediremus. Perſpexit Deus peregrinationem noſtram, & ille, qui ædificat Jeruſalem, reſtituit lapſam partem: undè reſtituit lapſam partem? diſperſiones Iſrael ipſe eſt colligens: Cecidit enim in Adam pars quædam, & facta eſt peregrina. Hanc peregrinationem miſericorditèr vidit Deus, & quæſivit non quærentes ſe: undè quæſivit? quem miſit ad captivitatem noſtram? miſit Redemptorem, ſecundum quod ait Apoſtolus, commendat Deus, inquit, dilectionem ſuam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Miſit ergò ad captivitatem noſtram Redemptorem filium ſuum.* Hactenùs Auguſtinus; ex cujus doctrinà unicuique noſtrum clariſſimè innoteſcit, quan-

Digitized by Google

quantùm Chriſto debeamus, cujus livore ſanati, cujus Sanguine redempti, cujus meritis conſervati ſumus. Quod ſi etiàm ab Judæis teſtimonia iſtius veritatis requirimus, meminiſſe oportet illius ſententiæ, quam Caiphas in congregato Judeorum Synedrio protulit nempè: *expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autèm à ſemetipſo non dixit*, ut ſcribit Evangeliſta Joannes Cap. 11. verſu 52. *ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jeſus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, ſed ut Filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum*.

IV. Sed ut rem in pauca conferamus, validiſſimum nobis ſubminiſtrant argumentum ſuprà adducta. Nàm vel illa dicta ſunt in perſonà totius gentis Iſraeliticæ, vel in perſonà paucorum: In perſonà totius gentis conſtat, ea non eſſe prolata, quià de facto non tota gens remanſit, ſed multi exterminati, atque deleti ſunt, & hìc agitur de aliquibus ex privilegio ereptis ab exterminio. Si verò proferantur in perſonà eorum, qui ſuperſtites remanſerunt; rursùs interrogo, vel remanſerunt ſuperſtites ob merita propria, vel aliena? Ob merita propria conſtat eos non remanſiſſe, nàm tùnc dixiſſet Propheta, niſi Dominus exercituum reliquiſſet *nos Semen*, cùm autèm dixerit, reliquiſſet *nobis Semen*; ſignum evidens eſt, eos, qui remanſerunt, intuitu unius ſeminis fuiſſe ſervatos. Hoc autèm Semen eſt Chri-

Digitized by Google

Chriſtus. Ut vim iſtius agumenti perpendamus, afferre hic debemus verba Divi Pauli, qui ad Galatas ſcribens Cap. 3. ut doceat, eos omnem ſpem in Chriſtum reponere, adducit promiſſionem factam Abrahæ Geneſis Cap. 22. nempè: *benedicentur in Semine tuo omnes gentes*, & ait. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & Semini ejus, non dicit & Seminibus quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & Semini tuo, qui eſt Chriſtus*. Ex quibus verbis clarè colligitur, Divum Paulum non ſpectaſſe vocem *Semen* juxtà grammaticalem expoſitionem, ſed conſideraſſe res ipſas illà voce ſignificatas juxtà ſententiam verborum Dei, quibus promiſſio expreſſa eſt Abrahæ; ſciebat enim Paulus, utpotè ſtudio Hebraicæ linguæ, ſacrarumquè litterarum doctiſſimus, vocem *Semen* ſingulari numero aliquandò indicare multitudinem poſterorum, adeòque in tali ſignificatione nunquàm in plurali numero reperiri; ſciebat tamèn, quod quandò agitur de promiſſione factà Abrahæ de gentibus in Semine ſuo benedicendis, vox *Semen* non ad plures debet referri, ſed ad unum tantùm ex ſuis poſteris. Quamvìs enim ſupradicta vox litteralitèr conſiderata hanc vim habeat, ut multitudinem exprimat numero ſingulari, ſunt tamèn aliquæ circumſtantiæ, quæ ſi prudenti, docilique intellectu inſpiciantur, ſtatim cogunt, nos fateri, non ad plures, ſed ad unum tantùm eſſe trahendam hujus vocis ſignificationem. Pari igitùr argumento in textu

no-

Digitized by Google

noſtro Iſaiæ procedendum eſt; Nàm dantur circumſtantiæ, in quibus vox *Semen* non ſignificat plura, nec poteſt ad plura extendi verbi gratià Geneſis Cap. 4. *poſuit mihi Deus Semen aliud pro Abel, quem occidit Cain*: ubi vocabulo Seminis intelligitur Seth. Et Geneſis 22. *etiàm filium Ancillæ faciam in gentem magnam, quià Semen tuum eſt*: quà voce Iſmael denotatur. Examinemus jàm circumſtantias; In his duobus locis vox *Semen* unum tantùm ſignificat, quià agitur de privilegio uni, & non pluribus conceſſo. In primo enìm loco vult, ut Seth juſtus ſuccedat Abeli, & ipſius loco ſubſtituatur. In ſecundo ut Iſmael, quamvìs ex Ancillà procreatus, ſit multarum gentium Caput, & rector. Cùm autèm in hoc Iſaiæ vaticinio agitur de re, quæ uni tantùm eſt conceſſa, nempè ut non pereant omnes propter Semen relictum, jàm vox *Semen* non poteſt multitudini competere, ſed unum tantùm ſignificabit: hic autem Chriſtus eſt. *Hoc itaque Semen*, ait Divus Baſilius Magnus, *eos, qui quadamtenùs pro merito geſtorum, dum viverent, ſupplicia Sodomorum pati debuerant, nimirum igne, ac ſulphure exteri ob ipſorum nequitiam, quà ad menſuram pertingerant Sodomitarum, ne eadem paterentur, ſuo unius ad ipſos adventu prohibuit*. Invidià Diaboli mors intraverat in orbem terrarum, imminebat cervicibus noſtris divinæ Juſtitiæ gladius, atque œternum fælicìſſimà patrià ploraremus exilium, niſi increatus Dei filius dignaretur

Digitized by Google

retur eſſe filius Abrahæ, ut in ipſo benedicentur omnes gentes, ut reconciliarentur Deo, omneſque divinæ promiſſiones adimplerentur. Hic eſt divinus Sacerdos, cui omnia noſtra debemus, omnium benedictionum fons, & origo. Annon in ipſo benedicti ſumus, an non recognoſcemus noſtræ felicitatis auctorem eum, qui, ut nos ſuis cœleſtibus benedictionibus repleret, omnia Sacerdotis munera perfectiſſimè adimplevit? Hoc, ut clariſſimè pateat, neceſſe eſt, ut prolixiores ſimus; tantæ enim materiæ dignitas nos invitat, atque ad dicendum compellit, quod.

Nullus

Nullus præter Chriſtum potuit eſſe auctor noſtræ ſalutis, atque omnium benedictionum; quià nullus præter Chriſtum potuit munera in Sacerdote requiſita perfectiſſimè exequi.

LECTIO XI.

I. DUo Sacerdotis munera ex PP. conſiderantur, Orare nempè, & Offerre. II. Chriſtum oraſſe, novi teſtamenti paginæ docent. III. Eunomianorum, Arianorum, Felicis, & Elipandi error. IV. Duplex orandi modus, unus ſervilis, & obnoxius, alter liberalis. Primus Creaturis convenit, alter Chriſto. V. Filius Dei pro hominibus factus homo ſuam majeſtatem retinuit, etiàm dùm oravit. VI. Probatur auctoritate ſcripturæ, & Sanctorum Patrum, Chriſti preces inrerpoſitas pro miſeris, ægriſque mortalibus omnem ſervitutis umbram depellere. VII. Divinitas illibatum ſuum retinuit ſplendorem, etiam Chriſto orante. Exponuntur verba Joannis Cap. 17. VIII. Cùm tota Curiſti vita nobis fuerit bonorum operum exemplar; ejus etiàm orationes plurimùm nos inſtruxerunt. IX. Rogat Filius, ſed rogat ut hæres, non petit aliena, ſed ſua; non petit ſibi, ſed nobis. X. Ità orat Chriſtus, ut ſciat ſe exaudiri. XI. Quod Filius Patrem roget, non eſt detrimentum majeſtatis, ſed oſtenſio miſericordiæ. XII. Ar-

gumentum Paulini Aquilienſis contrà Felicem, & Elipandum, quo majeſtas Chriſti interceſſoris propugnatur. XIII. Explicantur verba Cap. 8. verſu 26. Epiſtolæ ad Romanos. XIV. Adducuntur verba Matth. Cap. 26. & probatur contrà Apollinariſtas, Chriſtum non ſolum carnem, & animam, ſed ipſos animæ affectus ſuſcepiſſe. Exponitur circà ipſos affectus mens Sanctorum Patrum. XV. Affectus regebat Chriſtus triplici jure, nempè Innocentiæ, Beatitudinis, Deitatis. XVI. Auctoritate Patrum, & Conciliorum explicatur, qualis fuerit oratio Chriſti petentis, ut tranſiret calix. XVII. Sudor Sanguineus non tàm triſtitiæ, quam fortitudinis ſignum.

I. Conſideranda ſunt in Sacerdotio duo præcipua munera inter ſeſe coniuncta, quorum unum eſt *Orare*, alterum *Offerre*. Eſt enim Sacerdos mediator inter Deum, & homines, ut meritò Iſidorus Peluſiota lib. 3. Epiſt. 20. dixerit, *Sacerdotium medium eſſe divinam inter, humanamque naturam, ut & illam colat, & huic mutationem in melius afferat*. Utrumque munus in ſummo Sacerdote, atque animarum Paſtore Chriſto conſideravit Auguſtinus in Pſalmum 26. de ipſo enim ait: *Sacerdos, quià pro nobis interpellat. Et quidèm ſolus ille Sacerdos talis extitit, ut ipſe eſſet etiàm ſacrificium, obtulit Deo non aliud, quam ſeipſum*. Nos hoc eodem ordine retento de oratione Chriſti priùs agemus, dein-

dè

Digitized by Google

dè de Oblatione, quà ſe in arà Crucis pro omnibus dedit, cùm de oblatione incruentà, nempè de Euchariſtiæ ſacrificio pleniſſimè Auctores pertractent; & nos fortaſsè alibì agemus.

II. Chriſtum oraſſe, novi teſtamenti paginæ nos docent, præcipuè Divi Pauli ad Hebræos Caput 5. verſu 7. ubi de Chriſto legimus: *qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cùm clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſuà reverentià*. Joannis Epiſt. 1. Cap. 2. *filioli mei hæc ſcribo vobis, ut non peccetis, ſed etſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Ieſum juſtum*. Divi Pauli ad Romanos Cap. 8. verſu 44. *quis eſt, qui condemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, immò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiàm interpellat pro nobis*. Ad Hebræos 7. verſu 25. *undè & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*.

III. Quià tamèn Ariani, & Eunomiani in calumniam Verbi vertebant hæc divina teſtimonia, quæ potiùs ad pietatem, obſequium, & amorem animum debebant excitare, & inflammare, docebantque Filium Patre æterno minorem, quià ipſum rogaſſet. Felix inſupèr, & Elipandus Filiationem Chriſti naturalem reſpuebant, adoptivam propugnabant, cùm crederent, indignum eſſe naturali Filio Patrem rogare, ideò in hàc controverſià ali-

quantulùm immorabimur, conabimurque oſtendere, Chriſti dignitatem nihil detrimenti accepiſſe ex eo, quod ipſe Chriſtus pro nobis oraverit, & adhùc ad paternam dexteram pro nobis interpellet. Quod ut facilè fiat.

IV. Conſiderare priùs debemus, duplicem eſſe orandi modum, unum ſervilem, & obnoxium, qui creaturis propriè convenit, quæ vel incertà ſpe, votoque pendentes aliquid petunt, & opus habent, ut precibus obtineant alienis, quæ ipſæ ſibi præſtare nequeunt: alterum liberalem, & ſolà voluntarià ſui demiſſione conſtantem. Cùm primus ille ſervilis modus ab orationibus Chriſti ſemper abfuerit, ut è Sacris Litteris, & unanimi Patrum conſenſu colligimus, procùl dubio aſſerere debemus, majeſtatem Filii retentam eſſe etiam cùm officio mediatoris, & interpellatoris.

V. Filius Dei pro hominibus factus Homo illæſam majeſtatem ſuam conſervavit, etiàm pro nobis orans, quià non oravit, ut mens ejus aſcenderet, atque elevaretur ad divinitatis faſtigium, jàm enim erat intimè præſens divinitati, atque ipſi hypoſtaticà unione copulata, nihilque eàm a tranquilliſſimà, beatiſſimàque illà præſentià poterat retrahere, ſed quemadmodùm tota ejus vita fuit quædam morum cenſura, & lex Juſtitiæ, quæ non ipſi, ſed nobis imponeretur, quemadmodùm miratus eſt, ut nos doceret altiſſima, atque divina mirari;

Digitized by Google

rari; defatigatus eſt, ut exemplo ſuo nos ab otio pernicioſiſſimâ animorum peſte deterreret; triſtatus eſt, ut ab inani letitiâ, quæ perpetuum luctum gignit, nos revocaret: itâ oravit, ut nos doceret ad Deum aſcendere, atque inſtrueret, quæ eſſent deſideranda, quæ à Patre Cœleſti petenda. Præclarè Damaſcenus lib. 3. de fide Orthodoxà Cap. 24. *Oratio, inquit, eſt aſcenſio mentis in Deum, aut congruentium petitio à Deo*: quomodò igitùr Dominus in ſuſcitatione Lazari, aut paſſionis tempore orabat? Non enìm aſcenſione in Deum ſancta ejus mens indigebat, ſemèl ſecundum Hypoſtaſim Deo Verbo unita, neque petitione à Deo, nàm unus erat Chriſtus; verùm noſtram in ſe exprimebat perſonam, & typum; quod noſtrum eſt, in ſeipſo formabat, nobis factus exemplum, & edocens nos à Deo petere, & ad eum aſcendere, & per ſanctam ſuam mentem nobis ſternens viam, & aſcenſum ad Deum: Quemadmodùm enìm paſſiones ſubſtinuit nobis victorias adverſus eas, & bravium comparans; Sic, & oravit, nobis, ut dictum eſt, viam aperiens, & aſcenſum in Deum, & pro nobis omnem juſtitiam implens.

VI. Sed ut cognoſcamus, quanta in orationibus Chriſti majeſtas effulſerit, & quod nihil ſervile, ac demiſſum, nihil Filio Dei indignum in eis potuerit deprehendi, quàm certâ, quàm ſecurâ ſpe obtinendi oraverit Chriſtus, quod non propria neceſſi-

ceſſitate, ſed ex diſpenſatione rogaverit, quoniàm de Lazaro ſuſcitato cùm Damaſceno meminimus, omnia, quæ geſta ſunt à Chriſto, quæque tanti miraculi patrationem præceſſere, in noſtri propoſiti argumenti confirmationem adducemus. Hoc mirabile factum Lazari quatriduani à monumento excitati Evangeliſta Joannes enarrat Cap. 11. ſed ibi verſu 23. efficacia, ac dignitas orationis Chriſti nobis innoteſcit; nàm antequàm aliquid petat à Patre, certè promittit Lazari reſurrectionem, legimus enìm: *reſurget frater tuus*: verſu 41. & ſequentibus: *Jeſus autem elevatis ſursùm oculis dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me, ego autèm ſciebam, quià ſempèr me audis, ſed propter populum, qui circumſtant dixi, ut credant, quià tu me miſiſti; hæc cum dixiſſet, voce magnà clamavit: Lazare veni foràs.* Quæ quidèm Chriſti Domini verba ſatis oſtendunt, ipſum quidèm, quandò rogavit, rogaſſe ut hominem, ſed ut ſuæ potentiæ, atque divinitatis conſcium; teſtatur enìm ſe exauditum, antequam petat, & non à petendo, ſed à gratiis agendis auſpicatur. Præbet etiàm clariſſima ſuæ divinitatis documenta, cùm fatetur, non adhibuiſſe preces ad Lazarum ab Inferis reſuſcitandum, ſed inſtruendos populos de ſuà cùm æterno Patre conſubſtantiali divinitate. Quod conſiderans Divus Joannes Chryſoſtomus homilià 63. in Cap. 11. Joan. *& quis nam, inquit, unquàm ità precatus eſt, priuſquàm quidquam diceret, gratias ago tibi,*

in-

Digitized by Google

inquit, oſtendens ſe non egere precibus. Omnia enim facis, quæ volo, non tanquàm non poſſet, ſed tanquàm una eſſet ipſorum ſententia. Sed quâ gratiâ orationis formâ uſus eſt, non me, ſed illum cauſam dicentem audi. Propter circumſtântem populum, ut credant, quià tu me miſiſti; non dixit, ut credant me minorem, & quod divino indigeam auxilio, ſine quo *nihil facere poſſum, ſed tu me miſiſti..... Non dixit miſiſti me imbecillum ſervitutis conſcium à me ipſo nihil facientem, ſed his omnibus omiſſis, nequid horum ſuſpicareris, ponit veram orationis cauſam...... Ego ſciebam, quia ſempèr me audis, hoc eſt, ut fiat voluntas mea, non egeo precibus ad perſuadendum, una enim voluntas eſt, ad quid ergò preces? propter infirmiores.* Colligitur ergò ex ſupracitato Joannis teſtimonio, atque ex Sancti Doctoris interpetratione, interpoſitas pro miſeris, ægriſque mortalibus Filii preces omnem ſervitutis, atque neceſſitatis umbram depellere, cùm mediatoris, atque interpellatoris officia divinitatis ſplendorem non obſcurent, ſed oſtendant. Suam namquè nunquàm deſervit potentiam, qui nobis ſimilis apparere dignatus eſt, neque in ſui ſuffragium adhibet preces, cùm orat, ſed in præſidium infirmitatis noſtræ: Suam ſervat majeſtatem, qui dùm petit, non poteſt non exaudiri. Oret utique pro nobis humana natura in Chriſto, ſed hæc non propriâ, ſed Verbi divini ſubſiſtentiâ completur, nec unquàm eſt à Verbo ſejuncta. Voluntas humana Filii ſemper eſt ejus divinæ voluntati conformis,

ceſſitate, ſed ex diſpenſatione rogaverit, quoniàm de Lazaro ſuſcitato cùm Damaſceno meminimus, omnia, quæ geſta ſunt à Chriſto, quæque tanti miraculi patrationem præceſſere, in noſtri propoſiti argumenti confirmationem adducemus. Hoc mirabile factum Lazari quatriduani à monumento excitati Evangeliſta Joannes enarrat Cap. 11. ſed ibi verſu 23. efficacia, ac dignitas orationis Chriſti nobis innoteſcit; nàm antequàm aliquid petat à Patre, certè promittit Lazari reſurrectionem, legimus enìm: *reſurget frater tuus*: verſu 41. & ſequentibus: *Jeſus autem elevatis ſursùm oculis dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me, ego autèm ſciebam, quià ſempèr me audis, ſed propter populum, qui circumſtant dixi, ut credant, quià tu me miſiſti; hæc cum dixiſſet, voce magnà clamavit: Lazare veni foràs.* Quæ quidèm Chriſti Domini verba ſatis oſtendunt, ipſum quidèm, quandò rogavit, rogaſſe ut hominem, ſed ut ſuæ potentiæ, atque divinitatis conſcium; teſtatur enìm ſe exauditum, antequam petat, & non à petendo, ſed à gratiis agendis auſpicatur. Præbet etiàm clariſſima ſuæ divinitatis documenta, cùm fatetur, non adhibuiſſe preces ad Lazarum ab Inferis reſuſcitandum, ſed inſtruendos populos de ſuà cùm æterno Patre conſubſtantiali divinitate. Quod conſiderans Divus Joannes Chryſoſtomus homilià 63. in Cap. 11. Joan. *& quis nam, inquit, unquàm ità precatus eſt, priuſquàm quidquam diceret, gratias ago tibi, in-*

inquit, oſtendens ſe non egere precibus. Omnia enim facis, quæ volo, non tanquàm non poſſet, ſed tanquàm una eſſet ipſorum ſententia. Sed quà gratià orationis formà uſus eſt, non me, ſed illum cauſam dicentem audi. Propter circumſtantem populum, ut credant, quià tu me miſiſti; non dixit, ut credant me minorem, & quod divino indigeam auxilio, ſine quo *nihil facere poſſum, ſed tu me miſiſti..... Non dixit miſiſti me imbecillum ſervitutis conſcium à me ipſo nihil facientem, ſed his omnibus omiſſis, nequid horum ſuſpicareris, ponit veram orationis cauſam...... Ego ſciebam, quia ſempèr me audis, hoc eſt, ut fiat voluntas mea, non egeo precibus ad perſuadendum, una enim voluntas eſt, ad quid ergò preces? propter infirmiores*. Colligitur ergò ex ſupracitato Joannis teſtimonio, atque ex Sancti Doctoris interpetratione, interpoſitas pro miſeris, ægrisque mortalibus Filii preces omnem ſervitutis, atque neceſſitatis umbram depellere, cùm mediatoris, atque interpellatoris officia divinitatis ſplendorem non obſcurent, ſed oſtendant. Suam namquè nunquàm deſervit potentiam, qui nobis ſimilis apparere dignatus eſt, neque in ſui ſuffragium adhibet preces, cùm orat, ſed in præſidium infirmitatis noſtræ: Suam ſervat majeſtatem, qui dùm petit, non poteſt non exaudiri. Oret utique pro nobis humana natura in Chriſto, ſed hæc non proprià, ſed Verbi divini ſubſiſtentià completur, nec unquàm eſt à Verbo ſejuncta. Voluntas humana Filii ſemper eſt ejus divinæ voluntati conformis,

mis, & quià voluntas divina Filii eſt etiàm voluntas Patris, non poteſt velle Filius, niſi quod vult Pater, nec poteſt petens, ac volens Filius non exaudiri à Patre. Ut hanc immortalem doctrinam propugnemus, accedamus iterùm ad Lazari monumentum Divo Ambroſio ducente: Ipſe enìm lib. 4. de Fide Cap. 6. num. 69., & 70. novæ editionis PP. S. Mauri ſic ait: *denique Lazarum ſuſcitaturus levavit oculos ſurſum, & dixit Pater gratias ago tibi, quià audiſti me, & ego ſciebam, quià ſemper me audis, ut quamvìs ex Perſonæ hominis incarnati ſuſceptione loqueretur, unitatem tamèn paternæ voluntatis, & operationis exprimeret, quià Pater omnia audit, omnia videt, quæ vult Filius. Videt ergò & Pater facientem Filium, audit volentem. Deniquè non rogavit, & exauditum ſe eſſe dixit, nec exiſtimari poteſt, quià non audit Pater, quod velit Filius, & ut ſcias, quià ſempèr auditur à Patre non quaſi ſervus, nec quaſi Propheta, ſed quaſi Filius.*

VII. Quemadmodùm cum pro nobis æterno Patri ſuo ſatisfecit homo Deus, nihil detrimenti paſſa eſt Divinitas, ſed mirum in modum divinorum attributorum claritas effulſit, cùm tantam dignitatem perſona ſatisfaciens refuderit in ſatisfactionem, quantam gravitatem perſonà, cui erat illata iniuria, refundebat in ipſam offenſam, ità illibatum retinuit ſplendorem ſuum Divinitas, etiàm Chriſto orante, & rogante. Orat ille, quià homo eſt, ſed magnificè orat, quià Deus: in homine non

Digitized by Google

non eſt mutatus, aut deminutus, & ne dubitemus, quàm magnificè roget, ipſum rogantem audiamus Joan. Cap. 17. verſu 1. & ſequentibus, poſtulat à Patre clarificari, ſed & à ſe Patrem clarificandum promittit: *Pater, inquit, venit hora, clarifica ſi'ium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Venit hora, in quà omnia adimpleantur, quæ à Patribus, & Prophetis prædicuntur; in quà ſciſſo velo templi omnia ceſſent ſacrificia, & ego Sacerdos, atque hoſtia in arà Crucis tibi pro hominum delictis ſatisfaciam, ut obſtricti ſolvantur, exules reducantur ad Regnum, Filii hæreditatem conſequantur. Clarifica igitùr Filium tuum, clarè videlicèt, ac glorioſè toti orbi manifeſta, me eſſe Filium tuum, & ego viciſsim clarificem te, ideſt tuam divinitatem, gloriam, omnemque perfectionem omnibus manifeſtem, ut innoteſcat altiſſimum Trinitatis myſterium, Potentia, Bonitas, Sapientia, Juſtitia per Mortem, Reſurrectionem, Aſcenſionem meam, per miſſionem Spiritus Sancti. O admirabilis oratio, & quæ Filii Dei majeſtatem nobis commendet. *Non ergò*, concludamus cùm Hilario lib. 3. de Trinitate, *non ergò infirmus eſt Filius, vicem clarificationis ipſe cùm clarificandus ſit redditurus ..... Ergò expoſtulatio clarificationis dandæ, viciſſimque reddendæ nec Patri quidquam adimit, nec infirmat Filium, ſed eamdem divinitatis oſtendit in utroque virtutem, cùm & clarificari ſe Filius à Patre oret, & clarificationem Pater non dedignetur à Filio; ſed hæc in Patre, &*

Filio virtutis unitatem per viciſſitudinem dandæ, & referendæ clarificationis oſtendunt.

VIII. Cùm, ut ſuprà jàm attigimus, tota Chriſti vita norma nobis fuerit, atque exemplar, quo omnes humanæ actiones componerentur, etiàm precibus, quas fundebat ad Patrem, nos docebat, ad unum, æternumque principium reverti, unam, ſempiternamque majeſtatem, & concordem trium perſonarum gloriam revereri. Undè Divus Epiphanius adversùs hæreſes lib. 2. num. 29. ait: *quocircà licèt vita ipſe ſit, ut teſtatur, ego ſum vita, eamque conferre per ſeſe poſſit, juris tamèn, ac Juſtitiæ legem perturbare noluit, ſed idcircò venit, ut ad unum principium, unamque divinitatem, concordiam, uniuſque gloriæ prædicationem, hominum ſalutem, mentemque traduceret: ob id coràm diſcipulis pati, ſupplicare voluit. Nàm quis demùm Filius à Patre non poſtulat, aut quis Pater non Filio largitur, quis porrò Filius à Patris naturà diverſus eſt? Proptereà unicus Dei Filius à Patre genitus plenus gratiæ, & veritatis nullum complementum requirebat, cùm nihil ipſi de veritate deeſſet, ſed plenus gratiæ, ac veritatis foret, ſed etsì plenus ſit, atque largiatur ipſe, & largiri poſſit, nihilominùs in Patrem refundere omnia voluit, nàm Filius glorificat Patrem, ac viciſsìm Pater unicum Filium glorificat.*

IX. Clariſſima nobis occurrunt ex novo teſtamento loca, quæ eamdem veritatem magis, ac magis confirment: Nàm Joannis 1. dicitur *Filius plenus*

plenus gratiæ, & veritatis: Matthæi Cap. 11. verſu 27. ipſemet Filius aſſeruit: *omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*: Joannis 16. verſu 15. *omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt*: Ad Romanos Cap. 8. verſu 33. ſcribit Apoſtolus, *quomodò non etiàm cum illo omnia nobis donavit?* Quibus ſuppoſitis quis non intelligit, quomodò Filius rogans, ſuam retineat majeſtatem: nàm ſi ipſe eſt univerſorum hæres, jàm cum aliquid petit, non rogat, ut ſervus, ſed ut hæres, non petit aliena, ſed ſua, non petit ſibi, ſed nobis. Quod ſi quæras, cur peteret, quæ ſua erant, cur peteret, cùm poſſet abſque prece donare: breviter reſpondemus, quod cùm bona cœleſtia conferri non debent niſi verè, & enixè petentibus, antequàm hæc aſſequeremur, priùs nobis dandum erat, ut benè rogaremus. Hoc voluit præſtare ſuo exemplo caput noſtrum, ac Sacerdos Chriſtus rogando in nobis, & noſtras preces aſſumens, quemadmodùm aſſumpſerat naturam, ut inſtructis ad benè petendum membris ſuis, quæ ſua erant, impertiretur. Quarè Bernardus Sermone 28. in Cant. exponens verba Pſalmi 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam [illegible]os terræ*, ait: *tuam, inquit, hæreditatem, tuamque p[illegible]m dabo tibi, quomodò dabis ei, ſi ſua eſt, & quomodò ſuam mones, ut poſtulet? mihi proindè poſtulat, qui meam ad hoc induit formam, ut ſuſcipiat cauſam*. Videamus, ut hoc præclariſſimum argumentum paulò altiùs repetat

Q 2 Augu-

Digitized by Google

Auguſtinus. Nàm in tractatu ad Pſalmum 85. *nullum, inquit, majus donum præſtare poſſet Deus hominibus, quàm ut Verbum ſuum, per quod condidit omnia, faceret illis Caput, & illos ei tamquàm membra coaptaret, ut eſſet Filius Dei, & Filius hominis, & unus Deus cum Patre, & unus homo cùm hominibus, ut & quandò loquimur ad Deum deprecantes, non indè Filium ſeparemus, & quandò precatur corpus Filii, non à ſe ſeparet corpus ſuum, ſitque unus ipſe Salvator Corporis ſui Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius Dei, qui, & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur à nobis. Orat pro nobis ut Sacerdos noſter, orat in nobis ut caput noſtrum, oratur à nobis ut Deus noſter.*

X. Orat pro nobis Sacerdos noſter, orat in nobis Caput noſtrum Chriſtus, ſed ità orat, ut ſciat ſe exaudiri, & ut omnis ejus oratio ſempèr exaudiatur. Vide jàm, quàm excellentiſſima, quàm ſplendiſſima ſint hæc officia pro nobis ſuſcepta, in qualem ſpem ſuæ altiſſimæ munificentiæ, ac miſericordiæ nos erigat, excitet, accendat cœleſtis Pater, dùm nobis omnia donat cùm Filio, omnes ſuos theſauros reponit in Filio, & vult, ut Verbum, in q[illegible]ndidit omnia, caro factum, & habitans in n[illegible] pro nobis loquatur in naturà noſtrà, quam ſuam effecit, ut quemadmodùm uno verbo omnia facta ſunt, ità & uno verbo omnia obtinere poſſimus. Hæc animadvertens Rupertus libro 1. in Jonam Cap. 1. Tomo 1. fol. 902. editionis Coloniæ

niæ, docet, Regium Prophetam locutum fuiſſe in perſonâ noſtri Salvatoris, cùm cecinit Pſalmo 85. verſu 7. *in die tribulationis meæ clamavi ad te, quià exaudiſti me*, & ſic concludit: *denique omnes Sancti idcircò exauditi ſunt, quià clamaverunt, iſte autem Sanctus Sanctorum ſolus eſt, qui veracitèr dicat, clamavi, quià exaudiſti me: ipſe eſt enim electus ex millibus, qui ſolus idcircò venit in hunc Mundum clamare pro omnibus, quià ſcivit, quod pro ſuâ reverentiâ foret exaudiendus. Hoc ipſe in Pſalmo innuens loquitur, holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi, ecce venio, & eſt ſenſus: cum intelligerem, quod illa de brutis animantibus ſacrificia nolles, quod nullus ex omnibus juſtis de peccato ad plenum ſatisfaceret, tùnc dixi, ecce venio, ſciens ſine dubio futurum eſſe, quod ſatisfacientem pro omnibus, & clamantem exaudires me.*

XI. Non eſt reputandum majeſtatis detrimentum, quod Filius Patrem roget, ſed oſtenſio miſericordiæ ſuæ, rogat Filius Patrem pro membris ſuis, nec enim, ut legimus Act. Cap. 4. verſu 12. *aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat, nos ſalvos fieri: habemus*, inquit Sanctus Maximus Taurinenſis Epiſcopus homiliâ 6. in feſtum Paſchæ, *prerogativam Sanguinis noſtri; in Chriſto enim caro noſtra nos diligit*. Nihil nobis negat in Filio, qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, & qui in Filio hanc charitatem nobis dedit, ut Filii Dei nominemur, & ſimus. Quæ quidem *Ad Romanos Cap.8.* *Joannis, Epiſt.1. Cap.3.*

Digitized by Google

dèm divinæ charitatis, ac bonitatis diffuſio in tantam fiduciam erexit Divum Bernardum, ut hàc ſententià compleverit homiliam 3. ſuper miſſus eſt: *non poſſunt perire pro quibus Filius rogat, ne pereant; pro quibus Pater tradidit Filium in mortem, ut vivant. Æqualiter ergò ab utroque ſperanda eſt venia, quibus æqualis eſt in pietate miſericordia, par in voluntate potentia, una in Deitate ſubſtantia.*

XII. Neque hìc dùm propugnamus interceſſoris, ac mediatoris noſtri majeſtatem, prætereundum eſt illud argumentum, quo utitur Paulinus Aquilienſis lib. 1. contrà Felicem Urgelitanum, qui quidèm cùm aſſeruiſſet, Chriſtum non eſſe Filium Dei naturalem, ſed adoptiuum, quia eſt Advocatus, mediator, & interceſſor, ab eodem Paulino manifeſtæ falſitatis inſimulatur. Nàm Spiritus Sanctus paraclitus in Sacris Litteris dicitur, hoc eſt advocatus, & tamèn unus eſt Deus, atque unius ſubſtantiæ cùm Patre, & Filio. Undè concludit ibidèm: *Si ergo ideò Chriſtum Jeſum verum denegas Deum, verumque Dei Filium, quià Advocatus noſter eſt, & pro culpis delinquentium intercedit; quæro quid de Spiritu Sancto definire præſumas, qui & ipſe Advocatus noſter eſt, & incarnatus non eſt, utrum ſit verus Deus, an non? Sed ſi de Filio rectè ſentires, profectò, & de Spiritu Sancto intelligeres. Dei enim Filius omnia pro nobis, non pro ſe voluntarià pietate ſuſcepit.* Colligit ergò laudatus auctor, quod quemadmodùm officia noſtri Advo-

Advocati ſuſcepta a Spiritu Sancto non derogant illius divinitati, atque majeſtati, ità nec officia Chriſti Domini.

XIII. Sed dices, quamvìs Spiritus Sanctus dicatur orare pro nobis, & nominetur interceſſor, diverſa tamèn eſt ratio Filii, ac Spiritus Sancti: nàm inter clariora loca, in quibus Spiritus Sanctus interceſſor appellatur, unum eſt Cap. 8. ad Romanos verſu 26. ubi legimus: *Spiritus adiuvat infirmitatem noſtram, nàm quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Quæ ultima verba, volunt interpetres, non eſſe ad litteram intelligenda, & Spiritum Sanctum ideò poſtulare, quia poſtulare faciat. Videantur intèr cæteros Eſtius, & Cornelius à Lap. in Cap. 12. Zachariæ. Cùm autèm Filius non dicatur rogare, quià rogare faciat, ſed quia ipſe roget, diverſa erit ratio illius, ac Spiritus Sancti. Reſpondemus totam vim argumenti, quo Paulinus Felicem urgebat, in ultimis illis verbis repoſitam eſſe nempè: *Dei enim Filius omnia pro nobis non pro ſe voluntarià pietate ſuſcepit*: ex quibus verbis colligitur, paritatem deductam à Spiritu Sancto non fundari in eo, quod ipſe Divinus Spiritus rogare faciat, ſed quod officium ſuſceptum ſit voluntarià pietate, & in hoc illæſa, atque inviolata ſervatur illius majeſtas; non enim præcisè majeſtas, ac ſplendor perſonæ retinetur, quià illa rogare faciat, cùm non repugnet, quod

quod aliquis rogare faciat, & faciat rogare pro ſe: ſed conſervatur dignitas, ac majeſtas perſonæ impellentis, & moventis ad rogandum, cùm hoc ſuſceptum officium effectus eſt pietatis ergà alterum, non neceſſitatis ergà ſeipſum. Valet ergo paritas à Spiritu Sancto deducta ad Filium; quia quemadmodùm Spiritus Sanctus, quomodòcumque dicatur rogare, hoc ex pietate provenit, ità etiàm Filius; quod ſatis eſt, ut arguamus, illius majeſtatem etiàm cum Oratoris, ac interpellatoris officio conſervari. Hinc nobis indicatum quàm excellens, quàm divinum ſit orationis opus, cùm ex eo ad Sanctiſſimæ Trinitatis thronum ſupplices aſcendamus. Nàm quemadmodùm humana petunt, quæ propriis meritis longe majora judicantur, neceſsè eſt, ut perſonam habeant, quà impellantur ad petendum, ut eum habeant, qui intercedat, & cujus merito obtineant, eum denique, qui largiatur: Ità nos, quorum amorem, ac deſiderium terrenæ cupiditates eneruant, atque infirmant, non poſſemus ardenter cœleſtia petere, niſi divinus amor nos accenderet, impelleret, excitaret, atque adiuvaret infirmitatem noſtram, & niſi apud Patrem omnium Principium ſine principio merita Filii interponeremus, nunquàm Cœleſtia conſequeremur, quæ meritis tantùm noſtris nequeunt obtineri. Cùm unaquæque Perſona ſe ſola potens ſit dare, quod rogamus, tamen ut Trinitatem veneraremur, cujus

Digitized by Google

jus communia ſunt, atque indiviſa opera *ad extrà*, dat Pater, interpellat Filius, movet ad rogandum Spiritus Sanctus.

XIV. Oppones iterùm: ergò ſaltèm non retenta fuit majeſtas Filii, cùm Filius pro ſe Patrem rogaverit: rogavit autem, ut conſtat Matthæi Cap. 26. *Pater: ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*. Reſpondetur, quod quamvìs poſſimus unico verbo ab hàc difficultate expediri, reſpondendo ſcilicèt, quod quandò Criſtus rogavit, pro ſe non rogavit neceſſitate conditionis, ſed neceſſitate voluntariè ſuſceptâ; tamèn quià multa ſunt, quorum notitiâ ad iſtius loci expoſitionem plurimùm conducunt, neceſſe eſt, ut in eo aliquantulùm immoremur. Et primò ſupponendum eſt de fide contrà Apollinariſtas, cæteroſque noſtræ fidei hoſtes, quod Chriſtus non ſolum carnem, ſed animam quoque, & affectus animæ ſuſcepit; hoc Sacræ Litteræ nos docent, veluti cùm Matth. Cap. 8. verſu 10. dicitur de Jeſus *mirari*, *ingemiſcere*, *& lacrymari*: Joannis 11. *triſtari:* Matthæi Cap. 26. verſu 38. *pavere*, *& tædere:* Marci 14. verſu 33. Ex quibus, multiſque aliis auctoritatibus ſuſceptæ animæ affectus verè in Chriſto fuiſſe, credendum eſt. Undè Auguſtinus in Pſalmum 93. inquit: *triſtitiam ſic aſſumpſit quomodò carnem; nolite enim putare, quià hoc dicimus, non fuiſſe triſtem Dominum, ſi enim hoc dicimus, quià non erat triſtis, cùm Evangelium dicat: triſtis eſt anima mea uſque ad mor-*

tem: ergò, & quandò Evangelium dicit, dormivit Jeſus, & non dormivit Jeſus, & quandò Evangelium dicit, manducavit Jeſus, non manducavit Jeſus, & paucis interiectis concludit, *quidquid ergò de illo ſcriptum eſt, factum eſt, verum eſt: ergò triſtis fuit? prorsùs triſtis, ſed voluntate ſuſcipiens triſtitiam, quomodò voluntate ſuſcipiens carnem, quomodò voluntate carnem veram, ſic voluntate triſtitiam veram*. In quà quidèm auctoritate duo nobis licet animadvertere, unum eſt, Chriſtum verè ſumpſiſſe affectus animæ; alterum, hoſce affectus ex voluntate ſuſcepiſſe. Quod ſi aliquandò ipſe Auguſtinus præcipuè enarratione in Pſalmum 21. aliique Patres, quorum auctoritates conciliat ſententiarum Magiſter in 3. Diſtinct. 15. videntur aſſerere, Chriſtum, nec verè timuiſſe, nec verè fuiſſe triſtatum, non tamèn exiſtimare debemus, eos abſolutè hoc pronunciaſſe, ſed quià cum illis adverſariis diſputabant, qui omni induſtrià contendentes, ut Filii majeſtatem deprimerent, hoſce animæ affectus, & horum meritum in Chriſto confundebant, & copulabant, & palàm aſſerere non verebantur, in Chriſto non tantùm dolorem, metum, ac triſtitiam, ſed etiàm dolendi meritum, ac triſtandi fuiſſe. Hoc meritum cùm juſtè negaſſent Sancti illi Patres, quià indebitum innocentiæ Chriſti Domini, ideò viſi ſunt, veram triſtitiam, verum dolorem; & timorem negare, cùm contrà Hæretici veram triſtitiam, & verum dolorem &c. aut meritum

tum dolendi eſſe, aut rem cum eo neceſſariò conjunctam, pronunciaſſent.

XV. Fuere igitùr verè in Chriſto iſti affectus, ſed illos regebat, illis moderabatur triplici jure, nempè jure innocentiæ, jure Beatitudinis, ac jure Deitatis. Nos exules filii, quos in peccatis prima mater concepit, lugemus, angimur, affligimur, paveſcimus, & iſti affectus ſunt quædam præludia mortis, quæ eſt juſtum, ac debitum peccati ſtipendium. Mortem meruimus, quià peccavimus primo parente peccante. Quotidiè morimur ſemèl morituri, & etiàm, dùm nolumus triſtitiam, metum, cæteroſque affectus experimur, qui nos vexant, turbant, ac mentem quandòque retrahunt à contemplatione ſummi Boni. Chriſtus autèm, qui à fons totius innocentiæ, immaculatus, impollutus, ſegregatus à peccatoribus aſſumpſit quidèm hos affectus propter nos, ut ſcilicèt noſtris mederetur; ſed non aſſumpſit meritum eorum, nec ullo modo retardari potuit ejus mens à ſuà felicitate, àc contemplatione Verbi Divini, cui erat unita. Undè Divus Hjeronymus in comment. ad Cap. 26. Matthæi exponens illa verba *cœpit contriſtari &c. Illud, inquit, quod ſuprà diximus de Paſſione, & Propaſſione, etiàm in præſenti capitulo oſtenditur, quod Dominus, ut veritatem probaret aſſumpti hominis, verè quidèm contriſtatus ſit, ſed ne paſſio in animo illius dominaretur per propaſſionem cœperit contriſtari, aliud eſt etenim contriſtari, & aliud incipere con-*

contriſtari. Ex quà doctrinà non tantùm diſcimus, affectiones animæ verè in Chriſto fuiſſe, ſed illarum modum recognoſcimus, quandoquidèm, ut probatur etiàm à Magiſtro ſententiarum in 3. Diſtinct. 15. *afficitur quis interdùm timore, vel triſtitià, ità ut mentis intellectus non indè moveatur à rectitudine, vel Dei contemplatone, & tùnc Propaſſio eſt: aliquandò verò movetur, & turbatur, & tùnc paſſio eſt. Chriſtus verò non fuit ità turbatus in animà timore, vel triſtitià, ut à rectitudine, vel à Dei contemplatione aliquatenùs declinaret, ſecundùm q iem modum intelligitur, cùm dicitur, vel timuiſſe, vel triſtis fuiſſe.* Verba ſunt Magiſtri.

XVI. Sed Divus Auguſtinus in Joannem Tract. 90 clariſſimè nos docet, quà majeſtate, quo imperio ſuſceptis affectionibus dominaretur; inquit enim: *turbaris tu nolens, turbatus eſt Chriſtus, quià voluit; eſurivit Jeſus, verum eſt, ſed quià voluit; dormivit Jeſus, verum eſt, ſed quià voluit, mortuus eſt Jeſus, verum eſt, ſed quià voluit; in illius poteſtate erat sìc, vel sìc affici, vel non affici; Verbum enìm animam ſuſcepit, & carnem totius hominis ſibi coaptans in perſonæ unitate naturam. Nàm & anima Apoſtoli verbo illuſtrata eſt, anima Petri verbo illuſtrata eſt, aliorum Apoſtolorum, ac Sanctorum Prophetarum verbo illuſtratæ ſunt animæ, ſed de nullà dictum eſt: verbum caro factum eſt, de nulla dictum eſt: ego, & Pater unum ſumus. Anima, & caro Chriſti cum Verbo Dei una perſona eſt, unus Chriſtus eſt, ac per hoc ubi ſumma poteſtas eſt, ſecundum voluntatis nutum tractatur infirmitas, hoc eſt turba-*

bavit ſemetipſum. Hàc tàm clarà doctrinà propoſità redeamus ad Cap. 26. Matthæi, ex quo deſumebatur occaſio arguendi. Oravit Chriſtus, ut tranſiret calix, ſed hæc oratio fuit ad exprimendum affectum, quem pro nobis ſuſceperat; quomodò enìm affirmaremus, illum etiàm noſtrum timorem ſuſcepiſſe, niſi timuiſſet, cùm tempus erat timendi? qui venerat, ut ſuà morte nobis daret vitam, ſuo voluit timore nobis fortitudinem conferre; qui petebat, ut tranſiret calix, non ità petebat, ut neſciret voluntatem Patris, ac ſuam, & quià ſua, ac Patris voluntas erat, ut in ligno vinceretur, qui in ligno de hominibus triumphaverat. Hæc voluntas prævaluit timori, cùm deſiderium calicis vitandi ſubiectum eſſet voluntati æterni Patris, quæ ſua quoquè erat, & quià dùm rogavit Chriſtus, hoc rogavit, hoc primùm voluit, ut fieret Patris voluntas, exaudita illius oratio fuit, adeòque & ſuam, rogans, retinuit majeſtatem. Quod ſi etiàm ipſa verba Sacri textus diligentèr attendamus, ſtatìm intelligemus, quod petitio illa calicis transferendi non fuit ex voluntate quàdam abſolutà: hoc deducitur ex eo, quod ſtatìm ſubiungitur: *non mea voluntas, ſed tua fiat*: ſi petitio ergò fuiſſet firma, & abſoluta voluntas, fuiſſet procùl dubio voluntas Patris voluntati conformis, cùm igitùr dicitur, non mea, ſed tua voluntas fiat, nobis innoteſcit, quod non fuerit abſoluta voluntas. Videatur Barradas tomo

4. hi-

Digitized by Google

4. hiſtoriæ Evangelicæ lib. 6. Cap. 11. ubi citatur Divus Auguſtinus Epiſtola 12. ad Probam. Legatur Epiſtola Agatonis act. 4. Concilii Conſtantinopolitani 6. Hoc etiam in ſenſu intelligendus eſt Divus Auguſtinus, qui cùm locis jàm citatis, & aliis quam plurimis affectiones animæ Chriſti acerrimè propugnet, & veram triſtitiam, verumque timorem in Chriſto extitiſſe fateatur, tamèn enarratione 2. ad Pſalmum 21. ſic ait: *corporis ſui, ideſt Eccleſiæ, gerebat perſonam, ſicut, & alibi cùm dixit, tranſeat à me calix iſte, pro nobis loquitur, niſi fortè putetur, timuiſſe mori: ſed non verè timebat Dominus pati, tertià die reſurrecturus, cùm arderet Paulus diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, non enim fortior eſt miles, quàm Imperator? miles autèm coronandus gaudet mori, & Dominus coronaturus timet mortem? Sed infirmitatem noſtram repræſentans pro ſuis infirmis, qui timent mori, hæc dixit, vox illorum eſt, non Capitis.* Quà doctrinà Sanctus interpres videtur innuere, voluntatem illam non fuiſſe abſolutam, ſed perfunctoriam, ut noſtra exprimeretur, & qui alibi affirmavit, Chriſtum verè timuiſſe, ideò hic ait, quod Dominus non verè timebat, quià loquitur de timore prævalente, quem à Chriſto excludit, cùm invadenti mortis horrori prævaluerit Chriſti fortitudo, voluntas, vehemenſque deſiderium moriendi pro humano genere.

XVII. Quo impetu autèm, quà fortitudine, quo animi ardore naturalem mortis horrorem ſu-

ſuperaverit Chriſtus, ex illius paſſionis hiſtoriâ apud Lucam Cap. 22. verſu 44. deduci poteſt, cum factus eſt ſudor ejus, ſicùt guttæ Sanguinis decurrentis in terram, & ibi anteà narratur, quod factus in agoniâ prolixiùs orabat. Pugnabat Athleta divinus, quià & ſenſus mortem horreſcens, & ratio ipſam mortem libentiſſimè acceptans, inter ſeſe confictabantur, ſed quemadmodùm illi, qui tanti ducis veſtigia poſtmodum ſequuti ſunt, forti, atque invicto animo tormenta, dolores pertulerunt, nec timuerunt quidquid funeſtum, horridum, luctuoſum, ac triſte cum morte ipſi offerebatur, ità multò meliùs, ac validiùs ipſe Chriſtus, qui de morte erat triumphaturus, admiſit præcurſores morti ſuæ crudeliſſimæ triſtitiam, atque angorem, qui acerbiſſimorum dolorum apparatu ſenſum torquerent, mentem invaderent, ſed ne in altiſſimam ejus ſedem aſcenderent, rationis imperio coercuit. Videatur hàc in re Angelicus Doctor 3. parte quæſt. 18. art. 6. Sudor ille decurrens, ut aliqui interpetres cenſent, inter quos Cornelius à Lap. in expoſitione hujus loci, *non tàm provenire potuit ex triſtitiâ, & angore, quàm ex actu fortitudinis, & audaciæ, quo deliberatâ, & efficaci voluntate æquè ex actu appetitus ſenſitivi à voluntate imperato generosè mortem, & omnes dolores, qui vivaciſſimè imaginationi ejus repræſentabantur, amplectebatur, & naturalem mortis, dolorumque horrorem ſuperabat*. Poſſe in vehementi agitatione interna

nà ſudare Sanguinem eos, qui delicati, ac poroſi ſunt corporis, tradit Ariſtoteles lib. 3. hiſtoriæ animalium Cap. 19. Neque hoc abſurdum videatur, cùm ex generoſo, vehementique ardore magna ſpirituum copia concitetur, quorum motu Sanguis efferueſcat, & in tenuiſſimas partes ebulliens, per apertos, ruptoſque poros erumpat. Divus Hjeronymus lib. 2. adverſus Pelag. exiſtimat, à vehementià orationis ſudorem Sanguineum profluxiſſe, inquit enim: *tàm vehementèr Salvator orabat, ut guttæ Sanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in paſſione profuſurus*. Fortitudinis, atque hilaritatis ſudor ille indicium fuit, non timoris, nàm teſte Galeno 1. de Symptomatum cauſis per gaudium ſinè ullo fræno calidum effunditur, in timore verò magno, accurrens ad cor, ſuffocatur. Non ergò tribuatur timori ſudor iſte Sanguineus, nàm qui timent, ſolent potiùs frigidum ſudorem experiri, cùm in vehementi timore, vocatis ad cordis præſidium ſpiritibus, omnia membra frigeſcant. Hoc elegantèr expreſſit Virgilius 3. Æneid.

mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine Sanguis.

Concludamus igitùr cum Divo Ambroſio in expoſitione Evang. ſecundum Lucam lib. 10. num. 61. fol. 1517. edict. Pariſienſis PP. S. Mauri. *triſtis videbatur, & triſtis erat non pro ſuà paſſione, ſed pro noſtrà diſperſione; denique ait, percutiam paſtorem, & diſper-*

ſpergentur oves gregis. Triſtis erat, quià nos parvulos relinquebat: cæterum, quàm conſtantèr ſe morti obtulerit, ſcriptura declarat, quandòquidèm quærentibus occurrit, turbatos confirmavit, tepidos provocavit, proditorem oſculi dignatione ſuſcepit. Nec illud diſtat à vero, ſi triſtis erat pro perſecutoribus ſuis, quos ſciebat immanis ſacrilegii pœnas daturos, & ideò dixit: transfer hunc calicem à mè, non quià Dei Filius mortem timebat, ſed quià vel malos perire nolebat. Denique ait, Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum, ut paſſio ſua eſſet omnibus ſalutaris.

Digitized by Google

I. Cùm Sacerdotes ad hoc adhibeantur, ut orent, & offerant, & jam explicata ſint, quæ attinebant ad primum illud munus à Chriſto pro nobis benignè ſuſceptum, jàm vocamur ad oblationes ejuſdem, atque ab illis Apoſtoli verbis ad Hebræos Cap. 9. verſu 11. auſpicamur, nempè *Chriſtus autèm aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per ampliùs, & perfectiùs tabernaculum non manufactum, idèſt non hujus Creationis, neque per Sanguinem hircorum, aùt vitulorum, ſed per proprium Sanguinem introivit ſemèl in ſancta æternà redemptione inventà*. Quæ Apoſtolica verba præ oculis habens Ferrandus in Epiſtolà ad Anatolium num. 4. ſic ait: *Filius autem Dei Patris unigenitus in carne mortali Sacerdos noſter effectus, non aurum, non argentum, non hircorum Sanguinem, ſed corpus obtulit proprium; victima ergò noſtra corpus eſt ejus*. Cùm antiqui illi Sacerdotes ſuas Deo hoſtias obtuliſſent, & ſparſo animalium cruore divinæ majeſtatis clementiam ſupplices depoſcerent, tamèn nec ullus Sacerdos talis fuit, nec ulla tàm digna victima potuit reperiri, quæ genus humanum morti damnatum æterno Patri reconciliaret. Tunc Unigenitus Dei Filius de præparato habitaculo ſuo reſpiciens ſupèr omnes, qui habitant terram, dixit, *ecce venio*. Nullus alius deſiderabatur mediator, ac Sacerdos, quàm Deus homo, utpotè qui neque à Deo, neque à nobis eſſet extraneus, ſed gratià potens apud utram-

que naturam, divinam ſcilicèt, & humanam, ut intèr utramque perpetuam pacem, & admirabile fœdus iniret. Chriſtus ergò, ut inquit Ambroſius de Incarnatione Cap. 6. *ex nobis accepit, quod proprium offerret pro nobis, ut nos redimeret ex noſtro, & quod noſtrum noverat, ex ſuo nobis divinà ſuà largitate conferret; ſecundùm naturam igitùr ſe obtulit noſtram, ut ultrà noſtram operaretur naturam, de noſtro ſacrificium, de ſuo præmium eſt.*

II. Conveniens fuit, ac ſummè decorum, ut ſibi ipſi divina Juſtitia conſuleret, provideret, ſuavemque, ac ſapientiſſimum inveniret modum, quo & ipſa tantis criminibus, tantiſque offenſis exaſperata placaretur, noſque in Regnum adoptionis transferremur. At quale erat ſolvendum pretium, ut illi ſatisfieret? Certè non homo, non Angelus hominem poterat à captivitate redimere, & divinam Juſtitiam placare, cùm tanta ſit rationalis creaturæ dignitas ob imaginem, & ſimilitudinem ſibi à Supremo Conditore altè, & tenacitèr impreſſam, ut nullum pro ejus redemptione poſſit à creaturà juſtum pretium ſolvi; ergò pretium, quod pro eà redimendà tribueretur Deo, & quo injuria furti, quà ſeipſa à Deo ſubtraxerat, æquali ſatisfactione compenſaretur, non aliud erat, quàm homo Deus; vèl igitùr inſerere ſe homini debuit Deus, ut pretium noſtrum fieret, vèl ſatisfactio, & compenſatio injuriæ Deo irroga-

tæ

tæ in æternum deſperanda. *Quid enim*, inquit Baſilius in Pſalm. 48. *adeò magnum in hoc ſæculo, quis poſſideat, ut dignam habere animæ valeat commutationem, propterea quod illa ad Creatoris eſt imaginem facta*: & infrà: *non dabit Deo propitiationem pro ſe ipſo; quid enim uſquàm tanti eſt momenti, quod homo poterit dare pro redemptione animæ ſuæ? inventum tamèn eſt unum pro omnibus ſimùl hominibus dignum pretium, nempè ſanctus, & omni pretio ſuperior pretioſus Sanguis Chriſti, quem pro nobis omnibus effudit.*

III. Ut verò clariùs inſinuetur, nullum prætèr hominem Deum potuiſſe pro peccato ad æqualitatem ſatisfacere, diligentèr animadvertendum eſt, quæ ad æqualem, & plenam ſatisfactionem requirantur. Juſtæ autem ſatisfactionis leges hæ ſunt, videlicèt, ut compenſationis materia valorem habeat debito æqualem, ut propria ſit ipſius debitoris, & ſub ejus dominio, ut non ſit alio titulo debita, & deniquè, quod talem materiam teneatur creditor acceptare, nec aliam poſſit exigere. Hic accedit, quod perſona, quæ pro iniuria ad æqualitatem ſatisfacere dicitur, tantam debet in ſatisfactionem dignitatem refundere, quantam perſona offenſa in illatam iniuriam refundit gravitatem. Cùm ergò creatura tota quanta eſt, Dei ſit, quid poterit Deo dare, quid Deo offerre, quod ſuum non ſit, quid poterit Deo exhibere in ſatisfactionem offenſæ, quod alio titulo offerre non teneatur, nempè creationis, conſervationis, ac ſervitutis? an tantæ dignitatis

erit,

erit, ut dignitati infinitæ Perſonæ offenſæ ſe unquàm aùt æquare, aùt comparare poſſit? dignum ergò noſtræ ſalutis pretium fuit Homo Deus.

IV. Rem hanc altiùs repetit Richardus de Incarnatione Cap. 8. ex illo enim encomio Chriſti apud Aggæum Prophetam, nempè *deſideratus cunctis gentibus*, diſertè aſſerit, multos ex gentilibus, Deo interiùs inſpirante, & per quædam rationum veſtigia eorum mentes ducente, non dubitaſſe, in beatâ temporum plenitudine Verbum in terras deſcenſurum, carne noſtrâ velandum, & eos ità potuiſſe philoſophari: Univerſum genus humanum à priſtino ſuo decore, & ingenitâ nobilitate deſcivit; id clariſſimè teſtantur & Idolorum cultura, & morum corruptela, & culpabilis ignorantia ſummi Conditoris, qui quamvis, ut divinus Sol omnium mentibus illuceſcat, quamvìs per creatam pulchritudinem alliciat, admirabili rerum creatarum artificio nos inſtruat, atque ad ſui obſequium vocet, cùm Cœli enarrant gloriam ejus, & opera manuum ejus annunciat firmamentum; multi tamèn poſthabitâ ſummi Numinis reverentiâ ad opera manuum hominum convertuntur, ſuis voluptatibus indulgent, belluarum more vivunt: illatam ergò Deo contumeliam, & ablatam homini integritatem redintegrare neceſsè eſt, ne aùt divina majeſtas ſpernatur, aùt tàm præclarum opus omninò pereat. Nullus autèm reſtaurator prætèr Deum admitti poteſt, nàm

Digitized by Google

nàm ſi homo infimus in ſummum Deum ſuperbiit, viciſsim opus eſt, ſummum infimè deiici, ut tanta ſit ſatisfacientis humilitas, quanta fuit ſuperbia peccantis. Quis autèm Summus præter Deum reperiri poteſt? Deindè ſi alius prætèr Deum reparator poſſit inveniri, plùs illi, quàm Deo deberet homo, quod repugnat. Rursùs neceſſarium eſt etiàm, quod reſtaurator homo ſit; ſi enim homo non eſt, quomodò ejus ſatisfactio ad homines pertinebit? Audiamus verba ipſius Doctoris: *ſecundùm illud ecce veniet deſideratus cunctis gentibus, non dixit deſiderandus, ſed deſideratus, ut intelligas, in omni gente aliquos aliquandò ejus deſiderio flagraſſe. Erat igitùr ejus adventus à multis gentilibus præcognitus, & ardentèr deſideratus: ad hanc tamèn cognitionem paulatìm, & per intervalla temporum pedetentìm aſcenderant; nàm primò quidam eorum divinitùs illuminati, & naturali ratione edocti intelligebant, quantis tenebris totum penè genus humanum involutum erat...... ut poſſit homo reſurgere juxtà rationem Juſtitiæ, ſatisfactione opus erat...... Ad plenitudinem autèm ſatisfactionis oportuit, ut tanta eſſet humiliatio in expiatione, quanta fuerit præſumptio in prævaricatione: rationalis autèm ſubſtantiæ Deus tenet ſummum, homo verò imum. Quando verò homo præſumpſit contrà Deum, facta eſt elatio de imo ad ſummum: oportuit ergò, ut ad expiationis remedium fieret humiliatio de ſummo ad imum; ſed hoc omninò non potuit, niſi aliquà in Trinitate Perſonarum. Itèm ſi homo per creaturam potiùs, quàm* *per*

Digitized by Google

per Creatorem recuperare poſſet, & recuperaret Juſtitiam, & mediante Juſtitià futuræ beatitudinis gloriam, nonne de cœtero contrà excellentiam primæ dignitatis magis obnoxius eſſet creaturæ, quàm Creatori, facturæ, quàm Factori? nàm plùs eſt profectò juſtificari, & beari, quàm creari. Ad plenam itaquè hominis reſtaurationem omninò non ſufficeret perſona, quæ Deus non eſſet, ſed nihilominùs conſtat, quià quantùm ad rationem Juſtitiæ ad hominem nihil attineret, quidquid quævis perſona faceret, quæ homo non eſt.

V. Sed quià ſuprà neceſſitatem Dei hominis mediatoris deduximus ex neceſſitate illius ſatisfactionis, quam divina Juſtitia depoſcebat, non incongruum erit, ſi tacitæ obiectioni occurramus, quà poſſet aliquis ea, quæ explicata ſunt, oppugnare. Nàm dicet forſitàn; ut divinæ Juſtitiæ ſatis fiat, debent priùs juſtitiæ leges ſervari: quæ autèm juſtitia eſt, ut damnetur juſtus, liberentur rei, occidatur innocens, peccatores vivant? Hoc quamvìs humano ingenio explicari penè non poſſit, utpotè cùm fuerit ſummum quoddam divinæ ſapientiæ, atque juſtitiæ artificium, tamèn ad propoſitam dubitationem ſolvendam aliquas rationes conabimur adducere, quibus quantùm in nobis erit, innoteſcat, non fuiſſe contra juſtitiæ leges noſtri innocentiſſimi Mediatoris ſatisfactionem. Meminiſſe primò oportet, quid Diaboli amiſeramus invidià, cujus poteſtatem, principatum ut juſtitià, non potentià tolleret, auferret, deleret Deus, opus fuit, ut

Digitized by Google

ut à ſummo Cœlo æternus Filius egrederetur, & eam carnem ſibi ſumeret, in quà vicerat primum hominem Princeps hujus Mundi. Factus eſt Chriſtus ſecnndus Adam; In primo repoſuerat Deus juſtitiam omnium hominum, quæ ut per ſecundum repararetur, ut Iſaiæ 53. legimus, poſuit in eo Deus iniquitates omnium noſtrum, & ille volens omnium iniquitates delere, indebitam ſibi mortem ſuſcepit, ut nobis debita non nocerent. Vide jàm, ut divinæ Juſtitiæ ſatisfaceret ſecundus Adam mediator, ac reparator noſter Chriſtus, non poterat niſi innocentiſſimus omnium peccatorum cauſam ſuſcipere, & omnium hominum Caput effici, ut ex ipſo in omnia membra amiſſa Juſtitia derivaret. Non aſſequeremur Deum, cujus imaginem nobis inditam primi peccati macula fœdaverat; niſi pro nobis moriturus Filius, qui eſt imago Patris, mitteretur in ſimilitudinem carnis peccati. Vide, ut triumphaverit Juſtitia; non eiiceretur foràs Princeps hujus Mundi, niſi ut alibì explicavimus, ipſe abuteretur jure ſibi conceſſo; abuſus eſt autèm, quià cùm ei permiſſum eſſet deſævire in reos peccati originalis, & actualis, ſævit in Chriſtum totius Juſtitiæ fontem. Adoremus ergò altiſſima divinæ mentis conſilia. Nullam maculam recipit Juſtitia, ſi juſtus volens pro iniuſtis moriatur, ut iterùm Juſtitia refloreſcat, ut ubi ſuperabundavit delictum, ſuperabundet, & gratia. *Mediator etenim*

 no-

Digitized by Google

noſter, ut inquit Gregorius lib. 3. Moralium Cap. 11. *puniri pro ſemetipſo non debuit, quià nullum culpæ contagium perpetravit, ſed ſi ipſe indebitam mortem non ſuſciperet, nunquàm nos debità morte liberaret. Pater ergò, cùm juſtus ſit, juſtum puniens, omnia juſtè diſponit, quià per hoc cuncta juſtificat, quod eum, qui ſine peccato eſt, pro peccatoribus damnat, ut eo electa omnia ad culmen Juſtitiæ ſurgerent, quo is qui eſt ſuper omnia damna iniuſtitiæ noſtræ ſuſtineret.*

VI. Quod Chriſtus Agnus innocentiſſimus ſeipſum pro peccatoribus in arà Crucis obtulerit ſuo æterno Patri, opus fuit ſummæ, & inenarrabilis miſericordiæ; nàm pro juſto quis moritur? Ipſe autèm vulneratus eſt propter ſcelera noſtra. Majorem dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Oh quantùm in hoc admirabili eluxit miſericordia divina, hoc fuit opus miſericordiæ, non tamèn contrà Juſtitiam; quod enìm juſtus ſe libentèr tradat pro iniuſtis, magìs ad miſericordiam ſpectat, quàm ad Juſtitiam, non tamèn Juſtitiæ contrarium, nàm ex hàc morte reſultat ſumma quædam gloria morientis. Hinc Apoſtolus ad Philipp. 2. ait: *propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſupèr omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genuflectatur.* Reſultat omnium Juſtitia renaſcentium, reſultat fortitudo noſtra. Hinc Iſaiæ 53. verſu 11., & 12.

& 12. legimus: *pro eo quod laboravit anima ejus videbit, & ſaturabitur, in ſcientiâ ſuâ juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit; ideò diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam.* Si peccator pro peccatoribus moreretur, iniuſtus pro iniuſtis, nihil mors eius cæteris prodeſſet ad vitam; non enim eius mors à morte liberaret, qui dignus eſt, ut pro ſeipſo moriatur. Occiſus ergò eſt pro peccatoribus, qui peccatum non noverat, ut illis, qui ignorabant viam vitæ, & qui à ſempiternà Juſtitià defecerant, promptus, ac facilis pateret aditus ad vitam, cernerentque cum moriente juſto ipſam Juſtitiam renaſci. Hinc Pſalmo 15. cecinit Propheta: *notas mihi feciſti vias vitæ*, & Pſalmo 71. *orietur in diebus eius Juſtitia, & abundantia pacis.*

VII. Atque ut intelligamus, quàm ſervatæ fuerint leges juſtitiæ etiàm juſto moriente, audiamus Bernardum, qui in Sermone ad milites templi Cap. 1. ſic ait: *quo pacto mors hominis illius pro altero valuit? quià & juſtus erat. Profectò enim cùm homo eſſet, potuit mori, cùm juſtus non debuit gratìs. Non quidèm peccator mortis ſufficit ſolvere debitum pro altero peccatore, cùm quiſque moriatur pro ſe: qui autèm mori pro ſe non habet, nunquid pro alio fruſtrà debet? quantò ſanè indigniùs moritur, qui mortem non meruerit, tantò is juſtiùs, pro quo moritur, vivit. Sed quæ, inquis, juſtitia eſt, ut innocens moriatur pro impio? non eſt juſtitia,*

T 2 *ſed*

Digitized by Google

ſed miſericordia. Si juſtitia eſſet, jàm non gratìs, ſed ex debito moreretur; Si ex debito ipſe quidèm moreretur, ſed is, pro quo moreretur, non viveret. At verò, ſi juſtitia non eſt, non tamèn contrà Juſtitiam eſt, alioquìn & juſtus, & miſericors ſimùl eſſe non poſſet. Omnia divina attributa, quamvìs multiplices, varioſque effectus ſortiantur, tamèn non pugnant inter ſeſe, non diſtinguntur, ſed unum, & idem ſunt. Cùm autèm in reparatione generis noſtri nec Bonitas ſinè Sapientià, nec Sapientia ſine Miſericordià eluxerint, ità & miſericordia ipſa non eſt adverſata ſanctiſſimis Juſtitiæ legibus, ſed ad illius rationes ſeſe adiunxit. Mortuus eſt juſtus pro iniuſtis, ſed hoc tàm præclarum, ſemperque memorandum opus, quod liberaliſſimi Redemptoris miſericordiam nobis commendat, non fuit ſine Juſtitià. Nos, qui eramus filii iræ, pauperes, ejecti, & à quibus placari non poterat exaſperata Juſtitia, obtinuimus per miſericordiam, quid Juſtitiæ redderemus. Placata eſt Juſtitia miſericordià morientis; & qui pro ſe non eſt mortuus, ſed pro nobis, qui mori debebamus, ſuam in nos tranſtulit ſatisfactionem, dùm in ſe noſtram contulit mortem. Præclarè Ugo de S. Victore in Dialogo de Sacramentis legis naturalis, ac ſcriptæ: *Deum*, inquit, *homo rationabilitèr placare non poterat, niſi damnum, quod intulerat, reſtitueret, & de contemptu ſatiſfaceret; homo verò nihil habuit, quod dignè Deo pro ablato damno recompenſaret, quià ſiquid de irrationali crea-*

Digitized by Google

creaturâ redderet, pro rationali ſublatâ minùs eſſet. Sed nec hominem pro homine reddere potuit, quià juſtum, & innocentem abſtulerat, & neminem niſi peccatorem invenit.... ut ergò Deus ab homine placari poſſet, dedit Deus gratìs homini, quod homo ex debito redderet. Dedit ergò homini hominem, quem homo pro homine Deo redderet, qui, ut digna recompenſatio fieret, priori non ſolùm æqualis, ſed & major eſſet. Ut ergò pro homine redderetur homo major homine, factus eſt Deus Homo pro homine, & dedit ſe homo homini, ut ſe acciperet ab homine.

VIII. Ut ergò omnia, quæ ſuperiùs dicta ſunt, & quæ ex PP. ſententiâ deſumpſimus, in pauca conferamus, patet jàm, quod etiàm in morte noſtri innocentiſſimi Liberatoris conſervata, & retenta eſt juſtitia, tùm in ordine ad Deum, quàm in ordine ad ipſum juſtum morientem. In ordine ad Deum, quià moriens, & ſatisfaciens non pro ſe ſatisfecit, ſed pro univerſo genere humano, adeòque illius ſatisfactio, ſatisfactio noſtra fuit, quemadmodum Juſtitia accepta ab Adamo noſtra quoquè erat, & culpa Adami nos ejuſdem culpæ reos conſtituerat. In ordine autèm ad ipſum morientem vide, quàm ſplendidè ſe geſſerit Juſtitia, permiſit volentem mori, ut per eum mortui renaſcerentur, ſed hanc mortem æterni nominis gloria compenſavit, dedit enìm illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genuflectatur.

IX. Quià verò intèr leges ſatisfactionis hanc

ſuprà

ſuprà repoſuimus, ut qui ſatisfacere dicitur, de proprio, non de alieno ſatisfaciat, ità quod materia ſatisfactionis tota ſit in poteſtate ſatisfacientis, nec alio titulo debeatur, neceſſarium exiſtimo, ut hìc nonnulla dilucidentur, quæ ad ipſam liberaliſſimam Chriſti ſatisfactionem pro nobis attinent. Poſſet enìm aliquis opponere: tota Chriſti opulentia ab æterno Patre effuſa eſt, & ipſe Chriſtus eſt donum Patris; hìnc ait: *mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me*. Reddit ergò Chriſtus Patri, quæ ſua erant; ſi ſua, quomodò ei ad æqualitatem pro irrogatà offensà ſatisfactum eſt? Verùm ſi graviſſimorum Auctorum ſententiæ fidelitèr hæreamus, facilè tota difficultas ſolvetur; ac primò ex eorum fundamentis hoc nobis innoteſcit, & Sacrarum literarum teſtimonio priùs diſcimus, quod Chriſtus divinus Sacerdos in arà Crucis pro nobis ſacrificium obtulit, quod tàm dignum, tàmque acceptum fuit, ut deleret Chirographum, quod contrà nos erat, & affigeret illud cruci. Mors debebatur nobis, non autèm Sacerdoti innocentiſſimo, cui aptantur prophetica dicta, *quæ non rapui, tùnc exolvebam*. Quod ſi ſanguis Abel vocem habuit, ut apùd ultricem Juſtitiam declamaret, ſanguis iſte tàm libentèr, tàm liberalitèr effuſus conciliavit nobis paterna viſcera miſericordiæ Dei noſtri: mors indebita nos à debità morte liberavit, & noſtra debita Patri perſolvit. Intèr cæteros, qui hanc doctrinam diligentiſſi-

tiſſimè nobis explicaverint, non prætereundus eſt Divus Anſelmus, qui lib. 2. cur Deus homo Cap. 2. poſtquàm inveſtigaſſet leges ſatisfactionis pro nobis exhibendæ, tandèm concludit: *videamus, ſi fortè hoc ſit vitam ſuam dare, ſive tradere ſeipſum morti ad honorem Dei, hoc enim ex debito Deus non exiget ab illo, quoniàm namquè non erit peccatum in illo, non debebit mori.* Aſſerit ergò Anſelmus, Chriſtum indebità ſuà morte debita noſtra deleviſſe, & nos dignum in eo ſatisfactorem, reparatorem, ac mediatorem reperiſſe, qui nèc *ex neceſſitate moriatur, quoniàm erit Omnipotens, nec ex debito, quià nunquàm peccator erit, & mori poſſit ex liberà voluntate, quià neceſſarium erit.* Verba ſunt ejuſdem Doctoris.

X. VVillelmus Pariſienſis in libro de cauſis cur Deus homo Cap. 7. hanc repetit Anſelmi doctrinam; exponens enìm, qualis debuerit eſſe ſatisfactionis materia, & quod oportuerit illam totam fuiſſe in poteſtate, ac dominio ſolventis ſic poſteà ratiocinatur. *Ex ſacrificio ergò non debito aliàs, & Sanctitate aliàs non debità, ſed ad hoc ſpecialitèr aſſumptà, & acceptà impetrare oportuit apùd Deum generi humano gratiam ſanctificationis. Nulla autèm creatura habere potuit aliàs non debitam, quantùm ad ſatisfactionem humani generis, ſanctitatem: quoniàm omnis puræ creaturæ ſanctitas per ſemetipſam debita erat Deo, omneque puræ creaturæ ſacrificium. Neceſſe ergò fuit, ut & iſta ſanctitas, & illud ſacrificium à non purà creaturà ſuſciperetur, ſeu aſſu-*

Digitized by Google

aſſumeretur: neceſſe ergò fuit, ſummum Sacerdotem humani generis non puram creaturam eſſe, & proptèr hoc Creatorem, qui ſuſceptâ ſanctitate, ſanctitatem humano generi impetraret.

XI. Clariùs tamèn explicabitur, quomodò Filius omnia à Patre accipiens, integrè, ac rigorosè Patri pro nobis ſatisfecerit, ſi ad Anſelmi doctrinam iterùm recurramus: ipſe enìm lib. 2. cur Deus homo Cap. 19. hunc difficilem nodum diſſolvit, docens, quod Filius accipiens à Patre omnia, ideò plenè, atque integrè ſatisfecit, quià ità accepit omnia, ut nihil deberet. Debiti nomen, quod vinculum quoddam, ac ſervitutem videtur innuere, longè eſt removendum à Divino Verbo, à Filio conſubſtantiali Patri, ſicùt enìm legimus Joan. 5. verſu 26. *Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*; & verſu 21. *ſicùt enìm Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic & Filius, quos vult, vivificat*. Non vulgaria ſunt, neque ullâ imperfectionis maculâ reſperſa, quæ donata ſunt à ſummo Patre tàm digno Filio: ſumma, & maxima ſunt, quæ communicantur, & hoc ipſum maximum accepit Filius à Patre, ut ei nihil deberet tamquàm obnoxius. Videamus in Anſelmi doctrinâ ad compendium redacta tàm ea, quæ nùnc aſſerimus, quàm illa, quæ fusè jàm explicata ſunt. *Dominus itaquè Jeſus*, inquit ille, *cùm mortem ſubſtinere voluit, quoniàm ſuum erat pati, & non pati, debuit facere quod fecit*,

fecit, quia quod vult fieri debuit, & non debuit facere, quià non ex debito. Nempè quoniàm ipſe idem eſt Deus, & homo ſecundùm humanam, & quà fuit homo, ſic accepit à divinà naturà, quæ alia eſt ab humanà, eſſe ſuum, quod habebat, ut nihil deberet dare, niſi quod volebat: Secundùm Perſonam verò ſic à ſeipſo habebat, quod habebat, & ſic perfectè ſibi ſufficiens erat, ut nec aliis quidquam retribuere deberet, nec ut ſibi retribueretur, dare indigeret. Quid clariùs dici potuit ad propoſitæ veritatis explicationem? Cùm paternam æqualitatem & conſubſtantialem divinitatem accepit à Patre, Filius accepit, ut nihil deberet; quià accepit, quod deberi non poſſit. Conſubſtantialis Patri Deitas eſt ipſa ingenuitas, & ſimpliciſſima quædam libertas: Summa autem, & abſolutiſſima libertas manare à Patre poteſt, deberi non poteſt; quià ſi deberetur, jàm conſideraretur tamquàm aliquo vinculo obſtricta, & tanquàm obnoxia. Si verò ad divinam Incarnationem, quam Oeconomiam Verbi aliqui ex Patribus appellant, animum transferamus, profectò intelligemus, quàm peculiaris, quàm propria fuerit Verbi ipſa Humanitatis aſſumptio, quamvìs hoc admirabile opus tota Trinitas ſit operata. Et primò conſiderare oportet, quod in Incarnatione vindicavit ſibi non Deitatem Humanitas, ſed Humanitatem Divinitas, & quod Verbum divinum humanam naturam aſſumens & eam ſuam effecit, ut ſervitus, quæ erat humanitati innata, divinita-

Digitized by Google

tem non inficeret, & Divinitas omnem ab eà ſervitutis, atque ignobilitatis umbram depelleret. Rursùs cùm Verbum humanitatem ſuam effecerit, & ſibi hypoſtaticè univerit, illa non ad ſeipſam, non ad quemcumque alium, ſed ad jus proprium ipſius Verbi tranſcribitur. Nàm ſecundùm antiquorum Patrum doctrinam alia in Deo dicuntur ſimpliciter unitè, indiſtinctè, alia diſcretè. *Diſcreta ſunt autèm*, inquit Damaſcenus lib. 1. fidei Orthodoxæ Cap. 13. *quæcumque ſunt divinæ & miſericordis Dei Verbi Incarnationis: in his enìm neque Pater, nec Spiritus ullà ratione communicant, niſi ſecundùm voluntatis aſſenſum, & ineffabilem miraculorum operationem, quam & ſecundùm nos homo factus Deus Verbum operabatur, & immutabilis Deus, & Dei Filius*. Similia legere poſſumus apud Divum Fulgentium de Fide ad Petrum Cap. 2. ubi ait, *qui totum habet commune cum Patre, quod æternus naturalitèr ſine initio habuit, & nihil habet commune cum Patre eorum, quæ in ſuam perſonam temporalitèr, atque humilitèr ille æternus, atque excelſus accepit de Virgine*. Ex quibus Sanctorum Patrum ſententiis colligimus, quàm propria fuerit ipſius Verbi Humanitatis aſſumptio. His etiàm fundamentis Catholicæ veritatis innititur Ferrandus Diaconus in Epiſtolà ad Anatolium, & propterea docet non totam Trinitatem, ſed tantummodò Filium, & incarnatum, & natum dici; quià videlicèt Filius naturam ſuam effecit, illam uniendo perſonæ,

quæ

quæ non eſt communis Patri, & Spiritui Sancto. *Deus*, inquit, *Homo factus eſt, naturam ſibi adunavit humanam, ſed in unitate perſonæ, quam non habet cum Patre communem, non in unitate ſubſtantiæ, quam habet cum Patre communem. Ideò non Trinitas, ſed tantummodò Filius, & natus, & paſſus eſt.*

Chriſtus Sacerdos noſter idem, ac victima pro nobis omnibus ſe Deo Patri obtulit.

LECTIO XIII.

I. C*Hriſtus pro omnibus ſe æterno Patri obtulit: eius ſanguis meliùs loquitur, quàm ſanguis Abel. II. Filium ſuum Unigenitum dedit pro omnibus Pater, non tantùm pro juſtis, & electis, ſed pro peccatoribus, iniuſtis, & reprobis. III. Clariſſimis ſimilitudinibus in divinâ ſcripturâ fundatis hæc eadem catholica veritas propugnatur. IV. Iſaiæ vaticinio oſtenditur, quod quemadmodùm Chriſtus omnium aſſumpſit naturam, ità pro omnibus eſt mortuus. V. Proponitur elegans Divi Pauli, & Joannis Evangeliſtæ teſtimonium. VI. Adducuntur verba ad Epheſios Cap. 3. verſu 14. VII. Quid intelligatur per longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundum, de quibus agit Apoſtolus. VIII. Explicatur locus Divi Pauli ad Romanos Cap. 14. verſu 15. IX. Chryſoſtomi, Baſilii, Cypriani, Ambroſii, Hilarii de copioſâ Chriſti Redemptione auctoritates adducuntur. X. Quàm conſtantèr aſſeruerit Auguſtinus, Chriſti Sanguinem fuiſſe pro omnibus profuſum.*

I. QUod Deus noſter *per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitaverit nos oriens ex alto*, divino afflatus ſpiritu cecinit Zaccharias; *quod apùd Dominum miſericordia, & copioſa apùd eum redemptio*, prædixit coronatus Pſaltes Pſalmo 129. Miſſus eſt ab excelſo ſolio gloriæ ſuæ Filius æterno Patri æqualis, ut in beatâ temporum plenitudine, quæ Prophetarum oraculis promittebatur, quam afflictiſſimi orbis lacrymæ depoſcebant, quæreret, & ſalvum faceret, quod perierat. Fuſus eſt prætioſus Sanguis, qui omnium peccata deleret, & antiqui veneni, quod nobis invidia Dæmonis propinaverat, remedium fieret, ut quos in ligno per primum Adamum culpa invaſit, oppreſſit, occidit, hos in ligno per ſecundum Adamum, nempè Chriſtum, ad immortalem vitam gratia revocaret. Hoc eſt ſummum, atque immenſum illud beneficium, quod noſtris cordibus fixè, altè, & tenacitèr imprimendum Sacræ litteræ nobis ſæpiſſimè commendant, & quod nos ad amorem quotidiè inflammare, atque in firmiſſimam ſpem erigere debet. Annòn amabimus Patrem, qui exules, atque rebelles filios revocavit ad Regnum; Paſtorem, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis; Dominum, qui ejecto foràs tyranno ſervos redemit; Deum, qui pro homine peccante factus eſt homo? Annon ſperabimus fuſo pro nobis Chriſti Sanguine, qui, ut inquit Apoſto-

lus

lus ad Heb. Cap. 12., *melius loquitur, quàm ſanguis Abel?* hic enim voce ſuà prædicus clamabat de terrà, clamabat ad vindictam, ille clamat ad veniam. *Clamat clavus*, inquit Bernardus Sermone 62. ſuper Cantica, *clamat vulnus, quod verè Deus ſit in Chriſto mundum reconcilians ſibi; ferrum pertranſiit animam eius, & appropinquavit cor illius, ut non jàm non ſciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis Sacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto.*

II. Ut nos ſibi reconciliaret Deus, ut nobis parceret, proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit illum, atque cùm illo omnia nobis donavit, ut nihil nobis deeſſet, quod offerre poſſemus. Pro omnibus nobis tradidit illum, idèſt non tantùm pro juſtis, atque electis, ſed pro peccatoribus, iniuſtis etiàm, & reprobis, cum ipſe ſit propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autèm tantùm, ſed & pro totius mundi, ut ex Paulo, atque Joanne colligitur. Ex quorum doctrinà ſatìs liquet, quàm falsò aliqui aſſeruerint, Chriſtum pro ſolis Prædeſtinatis mortuum fuiſſe, & quod meritò in Synodo Carifiacà, Moguntinà, & Valentinà damnatus fuerit Gotteſcalcus, qui Chriſtum pro omnibus mortuum negabat, & pro ſolis electis Sanguinem pretioſum fudiſſe, aſſerebat. Ad hunc errorem confutandum, quemadmodùm & errorem Cal-

Calviniſtarum, & Lutheranorum illi patrocinantium, errorem paritèr Janſenii, qui in ſuis propoſitionibus ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatis, quinto loco affirmavit, Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe. Ad hunc, inquam, errorem confutandum ſufficerent quidèm illa tàm Pauli, quàm Joannis teſtimonia à nobis propoſita, ſufficeret clara illa expoſitio catholici dogmatis, quà utuntur Cap. 4. Cariſiacæ Synodi Patres, nempè quod *Chriſtus Jeſus Dominus noſter, ſicùt nullus homo eſt, fuit, vel erit, cujus natura ab illo aſſumpta non fuerit, ità nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit, licèt non omnes paſſionis ejus myſterio redimantur. Quod verò omnes paſſionis ejus myſterio non redimuntur, non reſpicit ad magnitudinem, & pretii copioſitatem, ſed ad Infidelium, & ad non credentium eà fide, quæ per dilectionem operatur, reſpicit partem; quià poculum humanæ ſalutis, quod confectum eſt infirmitate noſtrà, & virtute divinà, habet quidèm in ſe, ut omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur.* Hinc etiàm Concilium Tridentinum ſeſſione 6. de juſtificatione Cap. 2. & 3. inquit: *Chriſtum Jeſum propoſuit Deus propitiatorem per fidem in Sanguine ipſius pro peccatis noſtris, non ſolùm autèm pro noſtris, ſed etiàm pro totius mundi: Verùm etsì ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamèn mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii duntaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.* Sufſice-

Digitized by Google

ficerent hæc teſtimonia ad confirmandos in fide animos; verùm, ut nihil omittatur, quod in tàm celebri controverſià deſiderari poſſit, antequàm propoſitam à nobis catholicam veritatem Sacrarum Scripturarum teſtimonio, & Sanctorum Patrum doctrinà propugnemus, aliquibus utemur ſimilitudinibus ex ipſamet ſcripturà depromptis, ut clariſſimè appareat, quàm vanum ſit fundamentum illorum, qui aſſerere non verentur, Chriſtum pro ſolis electis mortuum eſſe, eò quòd multi ex hominibus pereant, ac damnentur.

III. Iſaiæ Cap. 12. promiſit Deus ad extinguendam ſitim, quà genus humanum æſtuabat, perennes fontes, qui è lateribus Salvatoris prodirent: *haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Zachariæ Cap. 13. verſu 1. prædicitur temporibus Meſſiæ fons patens in ablutionem peccatoris: *in illà die erit fons patens domui David, & habitatoribus Jeruſalem in ablutionem peccatoris*. Quemadmodùm igitùr nolens ad fontem puriſſimum accedere, & bibens aquam turbidam, falsò conquereretur, puriſſimum fontem non adeſſe ad extinguendam omnium ſitim; ità ex quo aliqui peccatores damnentur, de quibus ait Jeremias Cap. 17. reliquerunt venam aquarum viventium Dominum; & ad quemlibet eorum ait Cap. 2. verſu 18. *& nunc quid tibi vis in vià Ægypti, ut bibas aquam turbidam?* Falsò deducitur, pretioſum Chriſti Sanguinem non eſſe pro omnibus effuſum.

Quem-

Digitized by Google

Quemadmodùm multis maculis conſperſus falsò aſſereret, patentem fontem maculas non abluere, non abſtergere, ſi ipſe aùt longè abeſſet à fonte, aùt profundo limo infixus nollet indè emergere, ità cùm Deus per Iſaiam in hoc Cap. dicat: *lavamini, mundi eſtote:* ſi peccatores ad vitiorum maculas abſtergendas ad Sanguinem Chriſti non recurrant, ſi in vitiorum limo, ac pulvere viliſſimo jaceant, ac proptereà damnentur, falsò affirmabitur, Chriſtum verum, ac perennem fontem vitæ pro omnibus Sanguinem non fudiſſe. Joannis 1. Chriſtus dicitur *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; & Joannis 8. *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* Quemadmodùm ergò ex quo malè agentes lucem oderint, ex quo ut conqueritur Chriſtus Joannis 3. verſu 19. *dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem*, nemo juſtè deduceret, Chriſtum veram lucem non illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, ità ex voluntarià multorum damnatione, ex miſerabili exitio illorum, qui tàm benignæ lucis radios deſpexerunt, & oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram, non benè, non rectè infertur, Chriſtum pro omnibus Sanguinem non fudiſſe. Joannis 10. inquit Chriſtus: *Ego ſum Oſtium, per me ſiquis introierit, ſalvabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet.* Joannis itèm 14. *ego ſum via:* ergò ſicuti, ex quo aliqui voluerunt imitari fures, & latrones, qui

per Oſtium non ingrediuntur, & miſerrimè perierunt, ſicùt ex quo aliqui in viâ peccatorum ſteterunt, ut inquit David Pſalmo 1. ſicut ex quo non ſervaverunt, quod Deus jubebat Iſaiæ Cap 30. verſu 21. *hæc eſt via, ambulate in eâ, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram:* itèm Jeremiæ 6. verſu 16. *videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in eâ, & invenietis refrigerium animabus veſtris*, non benè deducitur, Oſtium omnibus non fuiſſe apertum, viam omnium commodo non fuiſſe patentem; ità ex quo multi ex peccatoribus ſint damnati, malè concluditur, Chriſtum non eſſe pro omnibus mortuum, & Sanguinem ſuum non fudiſſe. Joannis Cap. 3. docuit nos clariſſimâ ſimilitudine divinus præceptor, ac redemptor, quod pretioſus ejus Sanguis pro omnium erat ſalute fundendus, & quod ipſe in ligno crucis exaltandus omnium commodo, utilitati, ac ſaluti volebat proſpicere; inquit enìm, *ſicùt Moyſes exaltavit Serpentem in deſerto, ità exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipſo, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Quemadmodùm igitùr meritò ab omnibus reprehenderetur, qui æneum Serpentem in deſerto pro aliquibus tantùm, & non pro omnibus à Moyſe erectum aſſereret, quemadmodùm ſi aliqui fortaſsè ab hoc ſalutifero ſigno avertentes oculos, ab ignitis Serpentibus vulnerati interirent, neminem tamèn lateret, æneum Serpentem pro

pro omnium remedio fuiſſe expoſitum: ità quamvìs multi ex hominibus oculos mentis ad vanitatem hujus mundi convertant, quamvìs Cruci delicias, paſſioni voluptates anteponant, & ſuper humeros ferre deſpiciant ſuaviſſimum Chriſti jugum, quo facilis, ac ſecurus patet aditus ad gloriam, non propterea credendum eſt, Chriſtum pro ſolis electis in cruce fuiſſe exaltatum, & pro ſolis juſtis divini cruoris pretium fuiſſe perſolutum.

IV. Argumenta quædam clariſſima ſunt, & ampla divinæ liberalitatis teſtimonia, quod Chriſtus non ſibi, ſed nobis natus ſit, mortuus ſit, ac reſurrexit, & quemadmodùm illi tanquàm ſecundo Adamo conſerti ejus membra efficimur, & nemo noſtrum eſt, qui abſque tantæ Bonitatis injurià aſſerere poſſit, ſuam à Chriſto naturam non fuiſſe aſſumptam; ità nemo unquàm erit, pro quo Redemptorem omnium ſuum Sanguinem fudiſſe non fateamur. Hæc eſt veritas in veteri, novoque Teſtamento nobis benignè occurrens, & ſicùt intèr cæteros Prophetas de Chriſto cecinit Iſaias Cap. 9. *Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis:* quo vaticinio oſtendit, quàm ſalutaris eſſet extitura humano generi iſtius parvuli nativitas, ità poſteà Cap. 53. prædixit ejus paſſionem, & mortem, & quantùm ex eà utilitatis capere poſſit univerſum genus humanum. Nàm verſu 4. ejuſdem Cap legimus; *verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores no-*

 ſtros

Digitized by Google

ſtros ipſe portavit; & verſu 5. *ipſe autèm vulneratus eſt proptèr iniquitates noſtras, attritus eſt proptèr ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſupèr eum, & livore ejus ſanati ſumus:* verſu denique 6. *poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Ex quibus Prophetæ prædictionibus non obſcurè inferre poſſumus, quod quemadmodùm dolores, & languores nobis omnibus debebantur, quemadmodùm omnes peccavimus, ſi noſtros languores tulit Chriſtus, ſi in eo poſitæ ſunt omnium iniquitates, non pro ſolis electis, ſed etiàm pro peccatoribus, & iniuſtis, & reprobis mortuus eſt.

V. Pro omnibus liberalitèr profuſum Chriſti Sanguinem pluribus in locis Doctor gentium teſtatur præcipuè 2. ad Corinthios Cap. 5. qui, ut omnes intelligerent, quo animi ardore, quà conſtantiâ deberent caducas mundi voluptates deſpicere, morique rebus terrenis, quæ tantoperè ab amore cœleſtium retardant, ac deniquè unicè vivere Chriſto, ſic ait: *Charitas enim Chriſti urget nos: æſtimantes hoc, quoniàm ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergò omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jàm non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* Quàm clarè autèm etiàm ex Apoſtolicâ doctrinâ inferri poſſit, Chriſtum mortuum eſſe non tantùm pro juſtis, & electis, ſed etiàm pro peccatoribus, & iniuſtis, ſuadent verba ipſius Apoſtoli ad Romanos Cap. 5. Ibi enim ut oſten-

Digitized by Google

oſtenderet, quàm immenſa fuerit divina Charitas ergà infirmos, ac miſeros mortales, quàm liberalis amor, quo non ſolùm amavit, antequàm amaremus, ſed amavit etiàm, cùm inimici eſſemus, omnemque poſſibilem, cogitabilemque hominum amorem incomparabilitèr exceſſit, cùm homines vix pro juſto, aùt re juſtà morti ſe audeant exponere; Chriſtus autèm ſe ſpontè obtulit in arà Crucis etiàm pro iniuſtis; ſic ſcripſit; *ut quid enim Chriſtus, cùm adhùc infirmi eſſemus, ſecundùm tempus pro impiis mortuus eſt? vix enim pro juſto quis moritur, nàm pro bono forſitàn quis audeat mori? commendat autèm charitatem ſuam Deus in nobis, quoniàm ſi, adhùc cùm peccatores eſſemus, ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multò igitur magis nùnc juſtificati in ſanguine ipſius ſalvi erimus ab irà per ipſum*. Divus quoque Joannes Evangeliſta Cap. 2. ſuæ primæ Epiſtolæ, ut nos à peccatis deterreret, atque in amorem noſtri Redemptoris excitaret, oſtendit primò, quàm liberalis ille fuit in omne genus humanum, quantùm nos amaverit, & in qualem ſpem nos erigat obti endæ veniæ, ſi mentem intendamus ad pretium pro omnibus liberalitèr ſolutum. *Filioli mei hæc ſcribo vobis*, inquit, *ut non peccetis, ſed ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autèm tantùm, ſed etiàm pro totius mundi*. Divus Paulus ad Romanos Cap. 5., ut hæc veritas altiùs humanis mentibus infigatur,
non

non obſcurè docet, quod quemadmodùm primi hominis culpa in poſteros ſuos transfuſa eſt, & univerſas humanæ ſobolis particulas veneno ſuo infecit, ità oportuit, ut per ſecundum Adamum revocaremur ad vitam, quod ejus dona, & copioſa redemptio illata nobis damna repararent, inquit enim: *non ſicùt delictum ità & donum; ſi enim unius delicto multi mortui ſunt, multò magìs gratia Dei, & donum in gratià unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit.*

VI. Si verò Divum Paulum de hàc eàdem catholicà veritate ſub umbrà alicujus ſimilitudinis loquentem audire velimus, conſideranda ſunt ejuſdem verba ad Epheſios Cap. 3. verſu 14. uſque ad 19. nempè: *hujus rei gratià flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis Paternitas in Cœlis, & in terrà nominatur, ut det vobis ſecundùm divitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per Spiritum ejus in interiori homine, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati, & fundati, ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum.* Nùnc ultimum Apoſtoli verſum ad Chriſtum, quà Deus eſt, referendum eſſe, quamplures ex Patribus docuerunt, intèr quos Divus Ambroſius, qui hìc per longum, latum, profundum, ac ſublime divinam immenſitatem intelligit, quam ſub earumdem quatuor dimenſionum nominibus expreſſit Job Cap. 11. verſu 8. nempè *excelſior Cœlo eſt, & quid facies? profundior*

Digitized by Google

dior inferno, & undè cognoſces? longior terrà menſura ejus, & latior mari. Quibus conſideratis dimenſionibus juxtà Angelicum Præceptorem longitudo erit æternitas, latitudo omnipotentia; juxtà Bernardum loco citando, & Gregorium 11. Moralium Cap. 10., & 11. in explanatione hujus loci latitudo eſt Charitas, ſublimitas eſt Dei majeſtas, profundum eſt Abyſſus Judiciorum, & Sapientiæ Dei. Divus verò Bernardus lib. 5. de Conſiderat. in fine, *divina*, ait, *eſſentia res una cùm ſit, eſt tamèn longitudo proptèr æternitatem, latitudo proptèr charitatem, ſublimitas proptèr majeſtatem, profunditas proptèr ſapientiam. Quam Dei quadrigam, comprehendit anima duobus brachiis timoris, & amoris. Timor ſublimi, & profundo, amor longo, latoque reſpondet, vel quatuor virtutibus; longitudinem enim tenemus, & comprehendimus perſeverantiâ, latitudinem charitate, majeſtatem veneratione, & adoratione, ſapientiam, & abyſſum Judiciorum timore, & humilitate. His etiam quatuor ſpecies contemplationis reſpondent: longitudinem enim comprehendit meditatio promiſſorum, latitudinem recordatio beneficiorum, ſublimitatem contemplatio majeſtatis, profundum inſpectio Judiciorum.*

VII. Quamvis igitur hoc Pauli teſtimonium hi, quos retulimus, Patres de divinitate Chriſti exponant, alii tamèn, intèr quos Divus Hjeronymus hìc, Divus Auguſtinus Epiſt. 120. Cap. 26. & lib. 2. de doctrina Chriſtianâ Cap. 4, tract. quoque 118. in Joannem, & alibi, Tirinus, Cornelius a Lapide;

Digitized by Google

pide, & Juſtinianus in hunc locum, de beneficio redemptionis noſtræ intelligendum eſſe, cenſuerunt: In quo quidèm conſiderare debemus latitudinem, miſericordiam ſcilicèt, quà de præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram, quæ ità fuit ampla, & tàm latè diffuſa eſt, ut meritò dixerit coronatus Propheta Pſalmo 75. *miſericordià Domini plena eſt terra*, & Maria in Cantico: *& miſericordia ejus à progenie in progeniem*. In hoc tàm præclaro beneficio ſuam quoquè longitudinem nobis licet animadvertere, cùm illud non Judæos tantùm reſpiciat, non Gentiles ſolùm, ſed eos, qui extiterunt, exiſtunt, & erunt, cùm ab æternitate fuerit prædefinitum, in beatà temporum plenitudine præſtitum, & fructus ejus per totam æternitatem ſit duraturus. Veneramur in eo ſublimitatem, quià quamvìs Redemptor noſter, ut nos humilitatem doceret, atque contrà ſuperbum hoſtem armaret, in formà ſervi voluerit apparere, ſemetipſum exinaniverit, Deus tamèn exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſupèr omne nomen, & ipſe aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, quæ omnia nos ad altiſſimam ſpem excitant gloriæ obtinendæ, cùm pignora noſtra ſint per Chriſtum ad Cœlum evecta; undè meritò concludit Apoſtolus ad Hebræos Cap. 4. verſu 14. *habentes ergò Pontificem magnum, qui penetravit Cœlos, Jeſum Filium Dei teneamus*

con-

confeſſionem. Profunditatem deniquè cognoſcimus in tàm immenſo beneficio, quià illo eruti ſumus de poteſtate tenebrarum, de profundo Abyſſi; undè Propheta cecinit Pſalmo 15. *non derelinques animam meam in inferno*: & Pſalmo 85. *eruiſti animam meam ex inferno inferiori*: & Pſalmo 29. *eduxiſti ab inferno animam meam*: Quod etiàm Apoſtolus ad Eph:ſios Cap. 4. docet, cùm ait: *quod autèm aſcendit, quid eſt, niſi quià & deſcendit in inferiores partes terræ? qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuprà omnes cœlos, ut impleret omnia*. Hanc de quatuor dimenſionibus doctrinam colligere etiàm poſſumus ex Divo Hjeronymo in expoſitione Cap. 3. Epiſtolæ ad Epheſios, ubi ait: *hæc univerſa & in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti intelligi queunt, aſcendens quippè in altum, captivam duxit captivitatem, & deſcendit in inferiora terræ & poſt altitudinem, & profundum in omnem terram exiit prædicatio Crucis, ità & altitudinem, & profundum, & longitudinem, & latitudinem tenet*. Si Chriſtus autèm veniſſet, & Sanguinem ſuum pretioſum fudiſſet pro ſolis electis, quam ſublimitatem, aut latitudinem admirari poſſemus in redemptionis noſtræ myſterio? quomodò profuſam in omnes Chriſti liberalitatem, ac miſericordiam tàm frequentèr commendaremus?

VIII. Non prætereunda eſt pro confirmatione propoſitæ veritatis doctrina Divi Pauli ad Romanos Cap. 14. verſu 15. qui cùm vidiſſet fide-

les in ciborum perceptione diſcrepantes, eò quod aliqui putantes ſe obſequium Deo exhibere, abrogatæ legis reliquias retinuiſſent, à communibus epulis abſtinendo; Aliqui verò cùm jàm cognoviſſent, quod ritus Moſaicæ legis nullam haberent vim obligandi, omnibus indifferentèr cibis uterentur; populum fidelem admonet, neminem ampliùs teneri ad ea, quæ in veteri lege circà ciborum diſcretionem præcipiebantur, conſentaneum tamèn eſſe Chriſtianæ charitati, ut rudes, atque imperiti, qui retentà veteris legis conſuetudine à cæteris diſcrepabant, paulatìm ab eà, non contentione, æmulatione, atquè irriſionibus, ſed fideli divinæ doctrinæ communicatione revocarentur, dicit enim initio Cap. 14. *Infirmum autèm in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum: Alius enim credit ſe manducare omnia; qui autèm infirmus eſt, olus manducet. Is, qui manducat, non manducantem non ſpernat, & qui non manducat, manducantem non judicet*, ac tandèm verſu 15. concludit: *Si enim proptèr cibum frater tuus contriſtatur, jàm non ſecundùm charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt*. Ex quibus verbis cùm clariſſimè pateat, Chriſtum pro illis etiàm mortuum eſſe, qui perdi poſſunt, ac perire, non obſcurè etiàm deducetur, Chriſtum non eſſe mortuum pro ſolis electis. Quarè Divus Chryſoſtomus homilià 26. in Epiſt. ad Romanos: *an tu verò ne tanti quidèm fratrem æſtimas, ut vel abſtinentià* cibo-

ciborum nolis illius ſalutem redimere? Hàc quidèm Chriſtus vel ſervus fieri, vel emori pro illo non dubitavit; tu ne cibos quidèm aſpernari ſuſtines, ut ejus ſaluti conſulas? atqui non omnes lucrifacturus erat Chriſtus, & nihilominùs pro univerſis mortuus eſt, quod in ſe ſitum erat, faciens. Ex quà doctrinà Sancti Antiſtetis colligimus, illum pro certo habuiſſe, & Chriſtum pro omnibus ſanguinem ſuum fudiſſe, & hanc catholicam veritatem optimè deduci ex laudato Divi Pauli argumento.

IX. At quoniàm ex auctoritatibus Sacræ Scripturæ ad Chryſoſtomi ſententiam deducti ſumus, jucundum nobis erit inquirere, quibus argumentis, tàm ipſe, quam cæteri Patres hoc catholicum dogma de Chriſto pro omnibus mortuo propugnaverint. Validiſſimum autèm inter multa illud eſt, quo utitur idem Sanctus Antiſtes, exponens illa verba Apoſtoli ad Galatas Cap. 2. verſu 20. nempè *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Ex quibus argumentatur, Chriſtum non tantùm pro omnibus, ſed etiàm pro unoquoque omnium ſanguinem fudiſſe, aſſeritque, Doctorem gentium ità ſcripſiſſe, *ut oſtenderet, unumquemque noſtrum tantæ Chriſto Domino gratiæ debitorem eſſe, quantæ, ſi ſui tantummodò causà veniſſet, non enim detrectaſſet vel pro uno tantumdèm curæ, ac benignitatis oſtendere: ità ille quemlibet hominum tantà charitatis menſurà complectitur, quantà orbem univerſum. Quò circà ſacrificium quidèm ipſum pro*

Digitized by Google

totà naturà oblatum fuerat; qui autèm uſum ſacrificii percipiunt, ſoli ſunt credentes. Et tamèn non illum à tali beneficentià deterruit, quod non omnes accederent. Ac nihilominùs prandium illud Evangelicum omnibus quidèm paratum fuerat; ſed quoniàm venire noluerunt, qui erant invitati, non propoſita fercula ſubtraxit, ſed alios invitavit. Eodem hìc quoque modo fecit, nàm & ovis à nonagintà novèm avulſa unica erat, nec ille tamèn eam neglexit. Quà quidèm doctrinà quid clariùs afferri poterat ad explicandam divini amoris ergà nos propenſionem, ac liberalitatem noſtri Redemptoris, adversùs quam reclamare non debent, qui pereunt, ac damnantur, quia ſuà, non Chriſti negligentià damnantur: ſicuti invitati ad regale prandium, & nolentes ad paratam menſam accedere, nihil habebant, quod Regiæ liberalitati juſtè opponere poſſent, ſi alios vocavit, atque accedentes refecit; ità etiàm omnes nos, ſicùt oves erravimus, unuſquiſque declinavit à vià ſuà. Quærit paſtor oves errantes, ut recipiat ad gregem, ut paſcat, ut reficiat. Pereunt homines errando, ſicut pereunt oves longo ſuo errore; perditio tamèn imputatur erranti, nec ullus eſt, qui non affirmet, paſtorem ſuam errantem ovem quæſiiſſe, ac pro eà laboraſſe. Aureis etiàm notis exprimenda in confirmationem hujus catholicæ veritatis Divi Baſilii auctoritas, qui in lib. Regul. fuſiùs diſputat. in reſponſ. ad quæſt. 2. de Charitate Dei ergà nos, & noſtrà ergà Deum, poſtquam

Digitized by Google

quam divina beneficia recenſuit, ut magìs, ac magìs audientium animos ad divinum amorem inflammaret, atque ab ingrati animi vitio deterreret, ſic ait: *mihi verò omnia illa cum animo meo cogitanti (ut quid in me ſentiam vobis eloquar) ſubit horror quidam, ac veluti alienatæ mentis ſtupor, ne fortè, vel avocatâ aliò mente, vel circà vanarum rerum occupatâ ſtudium, à Dei charitate excidens Chriſto dedecori ſim. Nàm ille ipſe, qui nos modò decipit, ac per mundanas illecebras oblivionem nobis ingenerare benè de nobis meriti Creatoris omni ope contendit ad animarum noſtrarum perniciem, inſiliens in nos, & inſectans tùm noſtram contemptionem Domino per convicium exprobrabit, & ex contumaciâ, defectioneque noſtrâ gloriandi adversùs illum materiam capiet, quod cùm neque procreaverit nos, nec mortuus ſit pro nobis, nihilominùs in rebellione, ac Dei mandatorum contemptu morigeros ſibi nos habuerit. Equidèm hujuſmodi probrum in Dominum conjectum, atque hanc inimici jactantiam acerbiorem mihi quibuſvis gehennæ ſuppliciis videri fateor, nimirùm materiam nos inimico Chriſti fuiſſe gloriandi, & arrogantiùs efferendi ſeſe contrà illum, qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit, cui ob illud ipſum majorem in modum debitores ſumus.* In hàc ergò doctrinâ animadvertere poſſumus, pro certo habuiſſe Baſilium, Chriſtum pro omnibus, non autèm pro ſolis electis ignominias tormenta, crucem, acerbiſſimamque mortem pertuliſſe: Introducit enim Diabolum exprobrantem Redemptori, quod beneficia tàm ampla, ac tàm eximia

Digitized by Google

eximia contulerit illis, qui ſpretis æternæ juſtitiæ legibus ipſa beneficia contempſerunt, malueruntque magìs hoſtem, ac tyrannum ſequi, quam Patrem, Dominum, ac liberatorem; quæ quidèm nullam vim haberent, ſi ad ſolos electos & vita, & paſſio, & mors noſtri benigniſſimi Redemptoris pertinerent. Simili argumento utitur Cyprianus lib. de Oper. ac Æleem. paulò antè finem, qui paritèr introducit Diabolum oſtendentem Domino maximum numerum eorum, qui cæcà ambitione perierunt, & quos imitatio culpæ, oblivio juſtitiæ ad ſempiternas miſerias deduxit: *Ego pro iſtis*, (verba ſunt Diaboli exprobrantis) *quos mecum vides, nec alapas cæpi, nec flagella ſuſtinui, nec crucem pertuli, nèc ſanguinem fudi, nec familiam meam pretio paſſionis, & crucis redemi, ſed nec Regnum Cæleſte illis promitto, nec ad Paradiſum reſtitutà immortalitate denuò revoco, & munera mihi quàm pretioſa, quàm grandia, quàm nimio, & longo tempore quæſita ſumptuoſiſſimis apparatibus comparant .... In pauperibus tu veſtiris, & paſceris, tu æternam vitam operantibus polliceris, & vix tui meis pereuntibus adæquantur, qui à te divinis mercedibus, & præmiis cæleſtibus honorantur. Quid ad hæc reſpondemus fratres cariſſimi?* concludit S. Pater, ac martyr..... Cujus argumentum ſicut nemo ignorat, quantam vim habeat ad revocandos homines ab impietate, ità perſpicuum eſt, communem, & inconcuſſam fuiſſe illius ſæculi doctrinam, numerum etiam illorum, qui pereunt,

reunt, debitorem eſſe Chriſto profuſi Sanguinis, qui ideò è ſuis fontibus manavit, ut homines ſalvarentur. Quod autèm aliqui pereant, atque æternæ mortis jaculis conficiantur, culpa ipſorum eſt. Conſonat præclarè Ambroſius, qui exponens verba Pſalmi 118. verſu 64. nempè *miſericordià tuà Domine plena eſt terra*, ſic ſcribit. *Quomodò miſericordià Domini plena eſt terra, niſi per paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti? plena eſt ergò terra miſericordià Domini, quià omnibus eſt data remiſſio peccatorum. Supèr omnes ſol oriri jubetur, & hic quidèm ſol quotidiè ſupèr omnes oritur: Myſticus autèm ſol ille Juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit: ideò autèm paſſus eſt, ut tolleret peccatum mundi; ſiquis autèm non credit in Chriſtum, generali beneficio ſe fraudat: Ut ſiquis clauſis feneſtris radios ſolis excludat, non ideò ſol non ortus eſt omnibus, quià calore ejus ſe ipſe fraudavit, ſed quod ſolis eſt, prærogativam ſuam ſervat, quod imprudentis eſt, communis à ſe gratiam lucis excludit.* Quid expreſſius, ac validius afferri poterat pro noſtrà catholicà ſententià? Pro ſalute omnium mortuum eſſe Chriſtum Ambroſius aſſerit, illumque affirmat ſinè ullius exceptione ſanguinem ſuum fudiſſe, mortemque acerbiſſimam ſubiiſſe, cujus remedii fructus ſi ad omnes non pervenit, non ideò affirmare debemus, quod Chriſtus noluerit, ſed quod illi ipſi, quorum causà pretium iſtud tàm magnum, tàm dignum impenſum eſt, eodem uti noluerint, & pro-

Digitized by Google

propinatum æternæ ſalutis poculum bibere recuſaverint, & ab ſe reiecerint. Non contemnenda eſt etiàm Sancti Hilarii expoſitio in Pſalmum 118. ubi ait, Chriſtum humano generi non pergenti ad ſalutis viam, & pœnitentiam non agenti exprobrare, quod Pſalmo 29. expreſſum eſt nempè: *quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Exprobrat, inquit, ſuperbis, & maledictis, qui nihil in Sacramento Sanguinis ſui, atque mortis utilitatis ſuæ eſſe exiſtimarunt, cùm ille noſtri causà, & natus, & paſſus, & mortuus ſit.* Libet iterùm ad Ambroſium reverti, qui lib. 2. in Lucam auream illam quamvìs brevem ſententiam protulit: *Plùs Domine iniuriis tuis debeo, quòd redemptus ſum; quàm operibus tuis, quòd creatus ſum.*

X. Ad Auguſtinum accedamus, cujus maxima pro noſtrà catholicà veritate eſt auctoritas, cùm adverſarii in patrocinium ſui erroris ejus ſententias detorqueant. Et quidèm finem nunquàm imponeremus huic noſtræ lectioni, ſi hìc citare mens eſſet nobis omnia loca, in quibus Sanctus Pater expreſsè affirmat, Chriſtum pro omnium ſalute ſanguinem fudiſſe. Aliqua ſolùm adducemus, ut liquidò conſtet, ipſum à cæteris jàm citatis non diſſentire: & profectò enarrat. Pſalm. 68. inquit: *Judas traditor punitus eſt, & Chriſtus Crucifixus eſt, ſed nos redemit Sanguine ſuo, & punit illum de pretio ſuo; proiecit enim pretium argenti, quo ab illo Dominus vendìtus erat, nec agnovit pretium, quo ipſe à Domino redemptus erat,*

erat, factum eſt hoc in Juda. In libro autèm 2. de Symbolo ad Catechumenos Cap. 5. inquit, quod ab Herode, & Judæis impiis *ad hoc quærebatur, non ut agnoſceretur, ſed ut occideretur, quià mundus per eum factus eſt, & mundus eum non cognovit. O munde immunde venit, qui te redimat, & turbaris, & hunc tu vis perdere, quandò te diſpoſuit liberare! O Judæorum terra impia non congruis Cœlo, Cœlum demonſtrat, ut adoretur, tu quæris, ut infans necetur. Ille tibi annunciat Deum hominem ſuſcepiſſe pro te, & tu vis perdere eum, qui venit redimere te?* Ænarratione paritèr in Pſam. 102. *Initus eſt*, inquit, *bonæ fidei contractus, nemo fallit Redemptorem tuum, nemo circumvenit, nemo premit; egit hic commercium, jàm pretium ſolvit, ſanguinem fudit, ſanguinem, inquam, fudit unicus Filius Dei pro nobis. O anima erige te, tanti vales.* Tractatu denique 12. in Joannem exponens illa verba: *non enìm miſit Deus filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*, ſic concludit. *Ergò quantum in medico eſt ſanare venit ægrotum: ipſe ſe interimit, qui præcepta obſervare non vult. Venit Salvator ad mundum, quare Salvator dictus eſt mundi, niſi ut ſalvet mundum, non ut judicet mundum: ſalvari non vis ab ipſo? ex te judicaberis.* Ex quibus auctoritatibus ſtatìm intelligimus, mentem Sancti Doctoris fuiſſe, non pro electis tantùm, ſed & pro omnibus veniſſe Chriſtum, & acerbam mortem pertuliſſe, & pereuntium culpæ, non verò Redemptori eſſe imputandum, quod ali-

qui pereant. Neque ſecum pugnat idem Sanctus Doctor, ſi aliquibus in locis videtur aſſerere: *omnem, qui Chriſti Sanguine redemptus eſt, hominem eſſe, non tamèn omnem, qui homo eſt, etiam Chriſti Sanguine redemptum eſſe*, & ſimilia, quæ leguntur aùt in Epiſt. 169. aliàs 102. ad Evod., & lib. 1. de adulterin: Coniug. Cap. 15., lib. de Correptione, & gratià Cap. 2. & alibi &c. Non, inquam, ſecum pugnat; nàm cùm Chriſti mortem, & pretioſum ejus Sanguinem ad ſolos fideles, atque electos reſtringit, intelligendus eſt non de Sanguine, ac morte Chriſti quoàd ſufficientiam, ſed ſolùm quoàd efficaciam, hoc eſt de fructu ultimo, pleno, ac perfecto mortis Chriſti, ſivè de illius efficacià conſumatà, quæ eſt conſecutio vitæ æternæ, quæ ad ſolos prædeſtinatos attinet. Cæterùm nunquàm negavit Auguſtinus, imò conſtantiſſimè propugnavit, ac docuit, Chriſtum pro omnibus, ſinguliſque hominibus mortuum eſſe, quantùm ad ſufficientiam; non ſolùm ratione pretii, quod omnibus, & ſingulis ſufficiens eſt, imò & abundans, cum apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio, ſed etiàm ratione intentionis, & charitatis Chriſti pretium illud pro omnibus offerentis.

verſ. XI.

Digitized by Google

verſ. XI. *Quò mihi multitudinem victimarum veſtra-*
rum? dicit Dominus. Plenus ſum: holocauſta
arietum, & adipem pinguium, & Sanguinem
vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.
verſ. XII. *Cùm veniretis ante conſpectum meum, quis*
quæſivit hæc de manibus veſtris, ut ambula-
verſ. XIII. *retis in atriis meis? Ne offeratis ultrà ſacri-*
ficium fruſtrà: incenſum abominatio eſt mihi.
Neomeniam & Sabbatum, & feſtivitates
alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri.
verſ. XIV. *Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras*
odivit anima mea; facta ſunt mihi moleſta,
verſ. XV. *laboravi ſuſtinens. Et cum oſtenderitis ma-*
nus veſtras, avertam oculos meos à vobis.

LECTIO XIV.

I. *ADducuntur Prophetarum teſtimonia; quibus ſacrificia videntur reprobari. II. Sanctorum Patrum de veteribus victimis opinio. III. Deus reprobavit ſacrificia non abſolutè, ſed attentis circumſtantiis hominum, qui interiori ſacrificio neglecto provocabant ſceleribus ſuis divinam iram, & omnem ſpem reponebant in exterioribus cæremoniis. IV. Patres, qui ſacrificiorum leges Populo aſſerunt promulgatas poſt Idololatriam, nihil aliud docent ni-*

ſi, quod Deus non primariò exteriora ſacrificia præceperit, ſed interiora. V. Expoſcere Deum principalitèr ab hominibus amorem, Sacræ Litteræ nos inſtruunt. VI. Quomodò intelligenda verba Ezechielis Cap. 20. videlicèt, & ego dedi eis præcepta non bona.

I. DEum præcepiſſe ſacrificia, & illa eſſe conſona naturæ, alibi jàm oſtendimus, cùm de ſacrificiis ageremus: quià verò hic Propheta videtur innuere, Deum reprobaſſe ſacrificia, & ejus teſtimonio alia Prophetarum vaticinia reſpondent, oportet, ut ſingula examinemus, & inquiramus, quo ſenſu illa ſint intelligenda. Nàm etiam Jeremias Cap. 6. verſu 20. ut quid *mihi thus de Saba afferis, & calamum ſuave olentem de terrà longinquà? holocautomata veſtra non ſunt accepta, & victimæ veſtræ non placuerunt mihi*. Et Cap. 7. verſu 21. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, holocautomata veſtra addite victimis veſtris, & comedite carnes. Quià non ſum loquutus cum Patribus veſtris, & non præcepi eis in die, quà eduxi eos de terrà Ægypti de verbo holocautomatum, & victimarum: ſed hoc verbum præcepi eis dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in vià, quam mandavi vobis, ut benè ſit vobis*. Amos 5. verſu 21. *odi, & projeci feſtivitates veſtras, & non capiam odorem cœtuum veſtrorum: quod ſi obtuleritis mihi holocautomata, & munera*

Digitized by Google

nera veſtra non ſuſcipiam, & vota pinguim veſtrorum non reſpiciam. Pſalmo 39. verſu 7. & 8. *Sacrificium, & oblationem noluiſti, aures autèm perfeciſti mihi: holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi, ecce venio.* Pſalmo verò 49. verſu 9. uſque ad 14. *non accipiam de domo tuà vitulos, neque de gregibus tuis hircos, quoniàm meæ ſunt omnes feræ ſilvarum, jumenta in montibus, & boves: cognovi omnia volatilia Cœli, & pulchritudo agri mecum eſt, ſi eſuriero, non dicam tibi, meus eſt enìm orbis terræ, & plenitudo ejus. Nunquìd manducabo carnes taurorum, & ſanguinem hircorum potabo? Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua*. Quod verò ſacrificia ſint permiſſa in pœnam Idololatriæ, innuitur Cap. 20 Ezechielis verſu 24., & 25. *eò quod judicia mea non feciſſent, & præcepta mea exprobaſſent, & Sabbata mea violaſſent, & poſt Idola patrum ſuorum fuiſſent oculi eorum: ergò & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent &c.*

II. At quemadmodùm propoſita à nobis ſunt hæc Scripturæ Sacræ teſtimonia, quibus videtur Deus, aùt reprobare ſacrificià, aùt in pœnam Idololatriæ permittere; ita adducendi ſunt Sancti Patres, qui aùt hæc eadem loca exponentes, aùt in confirmationem opinionis ſuæ adducentes poſſunt exiſtimari, aùt non omninò admittere præcepta fuiſſe ſacrificia, aùt aſſerere ea permiſſa in pœnam Idololatriæ. Et quidèm in Barnabæ Epiſtolà 2. ædit. Cotelerii Cap. 2. legimus: *adaperuit enìm nobis per omnes*

omnes Prophetas, quià non utitur noſtris hoſtiis, neque victimis, neque oblationibus, hæc dicens: quò mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum dicit Dominus, plenus ſum holocautomatibus &c. Divus Hjeronymus ad Jerem. Cap. 7. cum de ſacrificiis loquatur, concludit: *manifeſtè intelligitur, quod primum Decalogum dederit in tabulis lapideis ſcriptum digito Dei, & poſt offenſam Idololatriæ caput quoquè vituli poſteà juſſerit ſibi magis fieri, quàm Dæmonibus.* Juſtinus Martyr in Dialogo cum Triphone quæſtione 83. *Ad Moyſen uſque, ſub quo injuſtus, & ingratus populus v:ſter apparuit vitulo in ſolitudine fabre facto. Undè Deus ad populum illum ſe accomodans, hoſtias quoquè offerre tamquàm nomini ſuo præcepit, ut ne ſimulacra coleretis,* & poſteà adducit plura Sacræ Scripturæ teſtimonia à nobis jàm expreſſa, quibus Deus videtur ſacrificia reprobare. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. adverſùs Julianum inquit; *age verò ſubtilitèr inquiramus, quæ ratio fuerit legalis diſciplinæ, & quo reſpiciens Deus, majoribus permiſerit cruentis uti ſacrificiis: nimirùm diſpenſatio quædam erat, non rei neceſſariæ inventio. Obiurgare enim ejuſmodi cultores, eoſque increpare, & opportuno tempore prohibere offerentes, & veluti fruſtrà laborantes, atque ex re inutili gloriam aucupantes ad meliora revocare, argumentum eſt, rem uſu neceſſariam non eſſe, & præter ejus fieri voluntatem.* Theodoretus in Exod. num. 60. *Pro foribus tabernaculi altare fuit æreum, quod excipiebat oblata ſacrificia. Porrò hoc indicat, iſta fuiſſe ſuperflua, Deoque omnium minimè*

Digitized by Google

nimè grata: undè illa permiſit celebrari proptèr Judæorum infirmitatem, ſed extrà tabernaculum ſacrificia fieri juſſit quaſi eis, qui intùs erant, non neceſſaria. Hæc eadem ſæpiùs repetuntur à Theodoreto in Levitic., Numer., in Iſaiæ Cap. 1., in Jeremiam, & in Epiſtol. ad Hebræos &c. Tertullianus verò lib. 2. adverſùs Marcionem Cap 18. inquit: *Sacrificiorum quoquè onera, & operationum, & oblationum negotioſas ſcrupoloſitates nemo reprehendat, quaſi Deus talia ſibi propriè deſideraverit, qui tàm manifeſtè exclamat: quò mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum? & quis exquiſivit iſta de manibus veſtris?* Rupertus lib. 4 in Geneſim Cap. 24. *Et notandum*, inquit, *quod non jubente, ſed tantùm permittente Deo tulit Abraham ancillam ſuam, ut ſaltèm ex eà ſuſciperet Sara Filium, quia veteres cæremonias permiſit quidèm, ſed non mandavit Deus Iſraelitis: ſicùt per Prophetam Jeremiam teſtatur dicens: holocautomata veſtra &c.* Prætereo quamplures alios, qui citantur ab eruditiſſimo Thomaſſino Theolog. Dogm. de Incarnatione Verbi lib. 10. Cap 4., & 5.

III. Horum mens ut nobis expreſsè conſtet, & intelligamus, quo in ſenſu fuerint locuti, neceſſarium exiſtimo, ad eaſdem auctoritates recurrere, quibus illi nituntur, & diligentèr inquirere, ad quas circumſtantias Prophetarum verba dirigantur, quo ſemel jacto fundamento nullam eſſe, aùt in Sanctis Patribus, aùt in Sacro Textu vel contrarietatis umbram reperiemus. Accedamus igitùr ad Iſaiam,

Iſaiam, cujus verba in circumſtantiis ingrati Populi, & contaminati Idolorum culturà prolata eſſe, ſatis conſtat ex iis, quæ ſuperiùs ſunt explicata. Ad ſimiles circumſtantias referri verba Jeremiæ, Ezechielis, & Amos, ipſe ſacer contextus declarat. Nàm Jeremiæ loco citato verſu 8. ità reprehenduntur Judæi: *ecce vos confiditis vobis in ſermonibus mendacii, qui non proderunt vobis. Furari, occidere, adulterari, jurare mendacitèr, libare Baalim, & ire poſt Deos alienos, quos ignoratis, & veniſtis, & ſtetiſtis corâm me in domo hâc, in quâ invocatum eſt nomen meum, & dixiſtis, liberati ſumus, eò quod fecerimus omnes abominationes iſtas &c.* Similia habentur à verſu 17. uſque ad verſum 21. ſuprà memoratum. Ezechielis 20. verſu 22. priùs legimus: *& exacerbaverunt me filii, in præceptis meis non ambulaverunt, & judicia mea non cuſtodierunt, ut facerent ea.* Et verſu 24. alia populi ſcelera repetuntur, quæ divinum furorem provocaverint. Similia ſcelera enarrantur Amos Cap. 5. Ex quibus omnibus liquet inferre, eumdem Deum, qui ſacrificia præceperat, ſacrificia renuiſſe, ſacrificia reprobaſſe in illis narratis circumſtantiis. Quià videlicèt, cùm legales illi ritus, ac cæremoniæ nullam in ſe habuiſſent promiſſionem annexam gratiæ, & totum ſuum vigorem à devotione, ac bonitate offerentis acquiſiviſſent, jàm non poterant Deo placere hoſtiæ, quæ à contaminatis Idolorum culturà, ſceleratiſque hominibus offerebantur. Hinc Pro-

Digitized by Google

Proverbiorum Cap. 15. verſu 8. legimus: *victimæ impiorum abominabiles Domino: vota juſtorum placabilia.* Et Cap. 21. verſu 27. *hoſtiæ impiorum abominabiles; quià offeruntur ex ſcelere.* Eccleſiaſtici 35. verſu 14. *noli offerre munera prava, non enim ſuſcipiet illa: & noli inſpicere ſacrificium iniuſtum, quoniàm Dominus judex eſt.* Hinc etiàm Malachiæ 1. verſu 6. & ſequentibus conqueritur Deus, ac Sacerdotibus commiſſa delicta exprobrat, quæ in causà ſunt, ne divinæ majeſtati accepta ſint ſacrificia; inquit enim: *Filius honorat Patrem, & ſervus Dominum ſuum; ſi ergò Pater ego ſum, ubì eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubì eſt timor meus, dicit Dominus exercituum? ad vos ò Sacerdotes; qui deſpicitis nomen meum & dixiſtis; in quo deſpèximus nomen tuum? Offertis ſupèr altare meum panem pollutum, & dicitis; in quo polluimus te? In eo quod dicitis: Menſa Domini deſpecta eſt. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonnè malum eſt? & ſi offeratis claudum, & languidum nonnè malum eſt? Offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aùt ſi ſuſceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Quæ quidèm teſtimonia ſatis declarant, cur Deus oblata ſibi ſacrificia deſpexerit. Quarè Theodoretus in hoc Cap. Iſaiæ, inquit: *Iſaias verò: Holocauſta arietum, & ſanguinem hircorum, & taurorum nolo. Quoniàm cum aſſiduè arguerentur, quod cæteris virtutibus carerent, pro maximà defenſione opponebant ſacrificia, quæ aſſiduè peragebant; appoſitè hic Propheta, imò & alii omnes ab hàc eos defenſione deiiciunt.*

Google

IV. Quod ſi aliqui ex Sanctis Patribus leges ſacrificiorum poſt Idololatriam populo datas videntur aſſerere, non ità intelligendi ſunt, quaſì Deus nulla antè Idololatriam ſacrificia juſſerit, ſed quod videns populum proclivem ad culturam Idolorum, contaminatum barbararum gentium commercio, & impià vituli aurei conflatione, voluit eum ſcriptis legibus ſacrorum, ac rituum multitudine onerare, ut iis cæremoniis intentus à culturà Dæmonum recederet. Quarè Divus Hjeronymus in hoc Iſaiæ Cap. inquit: *hoſtiæ ergò, & immolatio victimarum non principalitèr à Deo quæſita ſunt, ſed ne Idolis offerrentur, & ut de carnalibus victimis quaſi per typum, & imaginem ad ſpirituales hoſtias tranſiremus*. Dicendo autèm ſe hoſtias non quæſiſſe, oſtendit, quia lex ſpiritualis ſit, & omnia, quæ Judæi carnalitèr faciunt, à nobis impleri ſpiritalitèr. Clariſſimè etiàm Origenes in numer. 17. ſcribit. *Sed & Moyſes ad duritiam cordis eorum pro conſuetudine peſſimà, quà imbuti fuerant in Ægypto, mandavit eis, ut qui abſtinere ſe non poſſent ab immolando, Deo ſaltèm, & non Dæmoniis immolarent; videndum tamèn, ne fortè ſit & aliqua ſacrificandi Deo occultior, & ſecretior ratio; Ne fortè, inquam, ſacrificia, quæ Deo offeruntur, ad deſtructionem fiant eorum ſacrificiorum, quæ Dæmonibus immolantur: ut quià per illa vulnerantur animæ, per iſta ſanentur. Sicut & ii confirmant, qui medicinæ peritiam gerunt. Serpentum namquè venena depelli medicamentis nihilominùs confectis ex Serpenti-*

Digitized by Google

pentibus perhibent: ità ergò & ſacrificiorum Dæmonicorum virus per ſacrificia Deo oblata depellitur. Liquet igitur ex ſupradictis expoſitionibus eos Patres, qui primo aſpectu videntur negare, ſacrificia fuiſſe a Deo præcepta, hoc unum velle, legales videlicèt hoſtias, expreſſamque illam cæremoniarum multitudinem non fuiſſe à Deo primariò, ac per ſe intentam, ſed vel ut populum rudem, & rebus materialibus aſſuetum per ſenſibilia ad occulta myſteria diſponeret, vel ut revocaret à ſuperſtitioſo gentium cultu, vel deniquè ob alios etiàm fines divinæ Sapientiæ notos, nobiſque adveniente jàm beatà temporum plenitudine manifeſtatos. Primò præcipiebat Deus amorem ſui, utque anima, quam ille ad imaginem ſuam condiderat, ſe à miſerrimà corporis ſervitute revocaret, & converteret ad Auctorem, Dominum, & conſervatorem optimum. Hinc data in tabulis præcepta, quæ fuerunt expoſitiones juris naturalis tabulis cordis inſculpti. Et quià hæc primò requirebat Deus, cætera videbatur non requirere, ſi prioribus omiſſis ſolo externo cultu, atque oblato victimarum nidore crederent homines ſe debito ergà Altiſſimam majeſtatem officio ſatisfacturos. Quarè Irenæus lib. 4. adverſùs hæreſes Cap. 31. exponens Jeremiæ Cap. 7. affirmat, his Prophetæ verbis ſignificari, non ob ſacrificia præcipuè eductos fuiſſe Iſraelitas de terrà Ægypti, ſed ut obliti Idololatriæ Ægyptiorum poſſent audire Verbum

Digitized by Google

Domini, ac proindè non præcipuum mandatum eis fuiſſe de ſacrificiis, ſed de divinà voluntate audiendà: *& iterùm*, inquit, *ſignificans, quoniàm non proptèr hoc eduxit eos de Ægypto, ut ſacrificia ei offerrent, ſed ut obliti Idololatriæ Ægyptiorum audire vocem Domini poſſent, quæ erat eis ſalus, & gloria, per eumdem Jeremiam hoc dicit Dominus: holocautomata &c.* Et paulò poſt: *non enim principalitèr hæc, ſed ſecundùm conſequentiam, & proptèr prædictam cauſam habuit Populus.* Intèr cæteros autèm Patres Baſilius in hoc Iſaiæ caput nos docet, quomodò Prophetarum verba, aut circà præceptum ſacrificiorum, aut circà eorumdem reprobationem intelligere debeamus, inquit enim. *Holocauſta arietum, & adipem agnorum, & Sanguinem taurorum, & hircorum nolo. Obſerva nùm quæ dicuntur, reclament legislationi, & his adverſentur, quæ promulgatione legis Moſaycæ ſancita ſunt. Siquidèm lex ea repoſcit, hic contrà eam adverſatur, & faſtidit. Et cùm nè unum quidèm jota prætereat de lege, donèc omnia fiant; Conſidera àn fortè ſermo hic indicet, quæ corporalia legis occurrunt, ſpiritualitèr, & ſublimi intelligentià exponi debere. Non enìm animal ipſum, nempè arietem, ait, quoquo modo expetivi, ſed mentem, nempè principem animæ facultatem nullà ſollicitudine circà res terrenas diſcerptam, ſed velùt igne perpurgatam, & quæ probare ſe comprobarit. Neque efflagito, ut adeps agnorum in fruſta comminutus torreatur igni, ſed ut mihi conſecretur ardor, & ſimplicitas morum ab innocente animà proficiſcens.*

V. Ex-

Digitized by Google

V. Expoſcere Deum principalitèr ab hominibus non exteriora ſacrificia, ſed interiora, amorem videlicèt ſuum, dilectionem proximi, & exactam mandatorum obſervantiam, ſæpè ſæpiùs Sacræ litteræ nobis inſinuant. Clariſſimè autèm Micheæ Cap. 6. verſu 6. *Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelſo? nunquid offeram ei holocautomata, & vitulos anniculos? nunquid placari poteſt Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? nunquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? indicabo tibi, ò homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Utiquè facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo*. Quà auctoritate docemur, Deum requirere principalitèr à nobis, ut ejus mandata obſervemus, ut præ oculis habeamus æternæ vitæ documenta, ut pugnemus contrà rebelles motus concupiſcentiæ, & rationis fræno contineamus infeſtiſſimi ſenſus voluptates. Quid enim prodeſt effuſus animalium ſanguis, ſi anima ſanctis cogitationibus antè divinum conſpectum non effunditur? Quid prodeſt erectio altaris, ſi mens humi jaceat, nec ad ſublimia, ad cœleſtia erigatur? Quid proderit, fument thure, ac peregrinis aromatibus aræ, ſi piæ, & obſequentis orationis incenſum Deo noſtro denegemus? Quid proſunt vota, & oblationes, ſi in pignus ſempiterni amoris cor noſtrum Deo repoſcenti non offeramus?

Sacri-

Sacrificium Deo, inquit Regius Propheta Pſalmo 50. *Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.*

VI. At ne hìc præterire videamur, breviſſimè ſunt exponenda verba Capitis 20. Ezechielis ſuprà citati, & præcipuè quo ſenſu protulerit Propheta: *ergò, & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent*: Quæ quidèm verba duobus modis poſſunt intelligi; aùt videlicèt ſumendo, ut volunt Tirinus, & alii interpetres, verbum *dedi* pro verbo permiſi, quod idem eſt, ac ſi dicat, quià Judæi ingrati noluerunt obtemperare meis præceptis, & turpiſſimè, atque impiiſſimè prolapſi ſunt in crimen Idololatriæ, ego permiſi, eos obtemperare barbararum gentium legibus, nempè Ammonitarum, Moabitarum, Philiſtæorum, & aliorum peſſimè viventium, in quibus in pœnam ſuæ tranſgreſſionis morientur. Si verò Præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent, velimus referre ad leges cæremoniales, alter ſenſus erit, præcepta iſta dici non bona, non quià mala fuerint, ſed quià nullam in ſe habuerint vim ad conferendam gratiam, & fuerint nuda, & egena elementa data ad ſignificandum, non ad cauſandum; Quod indicatur clariſſimo illo Davidis teſtimonio Pſalmo 39. nempè: *Sacrificium, & oblationem noluiſti, aures autèm perfeciſti mihi, holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti, tùnc dixi, ecce venio*: Quibus verbis edocemur, veteres illas cæremonias

Digitized by Google

monias Deum non acceptaſſe, neque illis vim contuliſſe, ut homines juſtificarentur, & à peccati maculà mundarentur. Quæ paritèr verba repetuntur Pſalmo 50. *ſi voluiſſes ſacrificium*, idèſt ad peccatum expiandum, *dediſſem utiquè, holocauſtis non delectaberis.* Clarè etiàm per Jeremiam Cap. 11. clamat Deus ad civitatem Jeruſalem: *nunquid carnes Sanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?* Divus quoquè Paulus ad Galatas ſcribens Cap. 4. reprehendit eos, quod veterum cæremoniarum tenaces ipſa legis gratiæ documenta negligant, & relicto veritatis fulgore ad umbras iterùm convertantur, quibus prætèr futurorum repræſentationem nulla vis erat ad homines Deo reconciliandos: *Quomodò*, inquit, *convertimini ad infirma, & egena elementa, quibus iterùm ſervire vultis?* quaſi dicat: iſtæ, in quibus gloriamini, legis antiquæ cæremoniæ jàm evanuerunt, quemadmodùm adveniente ſole procùl abeunt umbræ, & evaneſcunt. Obtulit olìm Abel ſacrificium Domino, ſed ut indicaret acceptabile illud ſacrificium offerendum per innocentiſſimum Abelem, qui erat à fratribus occidendus, intèr quos ille erat primogenitus. Odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis, cum Noè ab Arcà egreſſus & altare erexit, & animalium ſanguinem fudit, & holocauſta combuſſit: ſed iſta præludia quædam fuere ſecundi Noè, qui nos in cruce veluti in Arcà ſalvavit à luctuoſo naufragio culparum, quibus mergeba-

Digitized by Google

gebamur, & duxit verè credentes ad feliciſſimum portum ſalutis. Filium jubente Deo obtulit Abraham, ſed hæc ſunt viviſſima divini amoris indicia, nàm ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Agnum in Paſchate occiditis: ceſſent jàm iſtæ cæremoniæ, jàm occiſus eſt verus Agnus Chriſtus, verus Meſſias à Patribus expectatus, promiſſus à Prophetis, qui abſtulit peccata mundi. Manna expectatis: at Manna Corpus eſt Chriſti, quod nobis in Euchariſtico Sacramento confertur, nobiſque divinæ gratiæ vigorem confert, nos reficit, alit, fovet, ac nutrit, ut à deſerto hujus miſerrimæ vitæ ad ſuſpiratas æternæ Patriæ delicias traducamur. Jàm vocati eſtis in libertatem filiorum Dei, in legem amoris, ut quid iterùm ſervire vultis jugo legis ob cordis duritiem vobis impoſito. Nox præceſſit, dies appropinquavit, induite ergò arma lucis, opera tenebrarum abiicite. Quod verò, ut ſuprà dicebatur, antiquæ legis cæremoniæ non habuerint annexam aliquam gratiæ promiſſionem, ſivè vim ad homines juſtificandos, idem gentium Doctor ad Hebræos Cap. 8. teſtatur; nàm loquens de Chriſto vero Pontifice, Sacerdote, ac Legiſlatore ait: *tantò meliùs ſortitus eſt miniſterium, quantò & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus promiſſionibus ſancitum eſt*: Comparat igitùr Apoſtolus novum cum veteri teſtamento, novum cum antiquo Sacerdotio, & utriuſque nobilitatem à divinis

vinis promiſſionibus metitur, quæ cùm ampliores ſint, atque illuſtriores ergà novum teſtamentum, & illius Sacerdotium; novum teſtamentum jàm vetus nobilitate, ac dignitate longè excedet, & ne diutiùs inquireremus, quæ nàm eſſent iſtæ promiſſiones, quibus deſtitutum erat antiquum teſtamentum, & quibus novum ſancitum, atque fundatum, ſtatim adducit auctoritatem Jeremiæ Cap. 31. ubi legimus: *propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non recordabor ampliùs*. Quæ ampla promiſſio ad legem gratiæ referri debet, ut ſuo loco probabitur.

Digitized by Google

verſ. XXIII.

Principes tui infideles, ſocii furum omnes diligunt munera &c.

LECTIO XV.

I. *Lli, quibus incumbit onus adminiſtrandæ Juſtitiæ, grave peccatum committunt, ſi munera accipiant, & meritò ſocii furum poterunt appellari. II. In acceptione munerum manifeſtum eſt periculum pervertendæ Juſtitiæ. III. Sacræ Scripturæ teſtimonio aſſeritur, quantùm Deus eos deteſtetur, qui à muneribus accipiendis ſe non abſtinent. IV. Malè adminiſtrabit Juſtitiam, qui amat aliena. V. Sunt præter pecuniam aliqua munera, quibus Juſtitia offenditur. Exponitur auctoritate Patrum, quid ſit munus ab obſequio, munus à manu, & munus à linguâ.*

I. QUantà ope niti deceat eos, qui magiſtratum exercent, qui aliis dominantur, & præſunt, ne acceptis muneribus corrumpantur, atque à rectiſſimo juſtitiæ tramite deflectant, ipſa nobis prophetica verba declarant. Appellantur enim Principes infideles, & ſocii furum hàc de cauſà,

ſà, quià diligunt munera. Juſta quidèm reprehenſio, & prophetico zelo reſpondens. Quicumque in cæteros habet poteſtatem, eam in Deum Dominatorem ſummum referre debet; *non enim eſt poteſtas niſi à Deo.* Ipſe ordinatiſſimà lege cuncta diſponens, atque ad fines ſuos perducens, ſapientiæ ſuæ vocibus nos inſtruit: *per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam.* Infideles igitùr ſunt, qui abutuntur poteſtate ſibi conceſsà, illamque vertunt in fomentum avaritiæ, atque ad rem domeſticam augendam, cùm eà potius defendere, & augere debuiſſent res alienas ſuo præſidio, & ſuæ juſtitiæ commiſſas. Qui dominium obtinent, Deum ſupremum Dominum venerari, ipſique obtemperare debent, ſi hoc negligant, infideles ſunt. Cùm autèm ipſe Deus poteſtatem in cæteros habentibus præcipiat Sapientiæ 1. *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram*; nonnè meritò potuerunt de infidelitate accuſari, qui non ipſam juſtitiam diligunt, ſed munera? meritò ſanè ſocii furum appellantur. Quemadmodùm enim, qui furibus aſſociantur, etiamſi non rapiant, ſatis eſt, ut in eodem iniquitatis curriculo verſati fuerint, ſatìs eſt, quod non recuſaverint, non pertimuerint cum latronibus eſſe, ut cum latronibus puniantur: ità, qui munera diligunt, quamvìs non auferant, rapiant, occidant, intèr eos tamèn verſantur, qui aliena diligunt. Et ſicùt latronum ſocii nuncupantur, qui non fugiunt occaſiones furandi,

Digitized by Google

ſed ipſis ſe libentèr exponunt: ità ſocii latronum ſunt, qui munera diligunt, & accipiunt; voluntariè enim ſe exponunt manifeſtiſſimo periculo prævertendi leges juſtitiæ, quæ ſuum unicuique reddere jubet.

II. Quàm manifeſtum autèm, quàm proximum ſit hoc periculum, experientia docet, ſacræ paginæ teſtantur. Munera enim homines excæcant, ut immaculatas Juſtitiæ leges humanis affectibus poſtponant, & quæ rectè agenda ſunt, minimè diſcernant. Hinc Exodi Cap. 23. verſu 8. præceptum eſt: *non accipias munera, quæ etiàm excæcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum*. Quo quidèm documento omnis prorſùs excuſatio adimitur illis, qui accipiunt munera abſque timore violandæ Juſtitiæ, exiſtimantes ſe eſſe prudentes, atque adeò ab omni prorſùs periculo tutos. Nàm ſi munera prudentes excæcant, & verba juſtorum prævertunt, etiàm juſti, & prudentes ab illis accipiendis debent abſtinere. Prudentes erant, ac ſanctiſſimis præceptis inſtructi filii Samuelis, & tamèn muneribus ſemèl acceptis paterna documenta neglexerunt, quibus populus Iſraeliticus regebatur. Legimus enìm libro 1. Regum Cap. 8. verſu 3. *Et non ambulaverunt filii ejus in viis ejus, ſed declinaverunt poſt avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium*. Si nullum eſſet in acceptis muneribus damnum pertimeſcendum, nullum periculum vitandum, non tàm

Digitized by Google

tàm frequentèr nos ſacræ litteræ admonerent, ponerentque antè mentis oculos experientiam, quà conſtat, bonos mores avaritià corrumpi, animoſque acceptis muneribus illaqueari. Hinc Deuteronomii 16. verſu 19. ſcriptum eſt: *non accipies perſonam, nec munera, quià munera excæcant oculos ſapientum, & pervertunt cauſas juſtorum*. Eccleſiaſtici Cap. 8. verſu 3. *multos enim perdidit aurum, & argentum, & uſque ad cor Regum extendit, & convertit*. Cap. verò 20. verſo 31. *Xenia, & dona excæcant oculos Judicum, & quaſi mutus in ore avertit correptiones eorum*. Quæ quidèm verba clariſsimè exponit Sanctus Petrus Damiani lib. 2. Epiſtolà 2 ad Cardinales. *Vir ſapiens*, ait: *Xenia, & dona excæcant oculos Judicum, & quaſi mutus in ore avertit correptiones eorum: armat enim muneribus adventantes, & per eos expugnat, ac cæcat eorum corda, qui ſuggerendi locum apùd aures obtinent principales, de quibus per Iſaiam Dominus conqueritur dicens: Principes tui infideles, ſocii furum omnes diligunt munera*: Et paulò poſt reſpondet tacitæ excuſationi; *Dicat aliquis: ego quidèm nihil quæro, ſed ſiquid gratìs offertur, accipere non recuſo? Ecce hic non notantur ii, qui munera quærunt, ſed qui tantummodò diligunt*. Et paulò infrà concludit. *Vicinum quippè eſt, atque contiguum, ut poſt munus acceptum, pervertatur etiàm corrupto Cenſore judicium*.

III. Notum eſt unicuique divinos codices perlegenti, quantò illi deteſtentur eos, qui munera acci-

accipiunt; Deuteronomii Cap. 27. verſu 25. legimus. *maledictus, qui accipit munera, ut percutiat animam ſanguinis innocentis, & dicit omnis populus amen*. Job Cap. 15. verſu 34. *ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libentèr accipiunt*. Pſalmo verò 25 verſu 10. munera accipientes Regius Propheta in numerum impiorum refert, cùm ait: *nè perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam, in quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus*. Quod ſi facilè poſſent homines etiàm poſt accepta munera rectam Juſtitiam adminiſtrare, ſi multùm diſtarent à periculo, non tàm acerbè reprehenderentur, neque tàm frequentèr, & tàm conſtantèr aſſeveraretur, excæcari muneribus etiàm ſapientes. Et hìc non video, quomodò ſinè horrore ſupplicii, ſinè timore periculi poſſint illi, quibus incumbit onus adminiſtrandæ Juſtitiæ, munera etiàm libentèr oblata accipere, nec quomodò poſsint prudentiæ ſuæ inniti, exiſtimantes hàc omne periculum vitaturos, ſi corda etiàm ſapientium munera pervertunt, & corrumpunt. Quæ peſtis atrocior avaritià? quod ferrum auro nocentius? undè cecinit Ovidius 1. Metam.

itum eſt in viſcera terræ,
Quaſque recondiderat. ſtygiiſque admoverat umbris,
Effodiuntur opes irritamenta malorum,
Jàmque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat.

Et

Et Vigilius 3. Æned.

quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames.

Horatius Lib. 3. Ode 16.

Aurum per medios ire ſatellites,
Et perrumpere amat ſaxa potentius
Ictu fulmineo. Concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum
Demerſa excidio. Diffidit urbium
Portas vir Macedo, & ſubruit æmulos
Reges muneribus. Munera navium
Sævos illaqueant Duces.

IV. Malè adminiſtrabit Juſtitiam, qui non abſtinet à muneribus accipiendis. Quomodò enim tribuet unicuique ſuum, qui cupit, qui capit aliena? qui quamvìs parum accipiat, multum rapit? timet enim pauperiem, ſi recuſat, & quià vult dives fieri accipiendo, accipiendo fit avarus, & candorem Juſtitiæ cæcà quàdam cupiditate contaminat

Indè ferè ſcelerum cauſæ, nec plura venena
Miſcuit, aùt ferro graſſatur ſæpiùs ullum
Humanæ mentis vitium, quàm ſæva cupido
Indomiti cenſus. Nam dives, qui fieri vult,
Et citò vult fieri; ſed quæ reverentia legum,
Qui metus, aut pudor eſt unquàm properantis avari.

ſic cecinit Juvenalis Sat. 14. *Qui rectè judicat, & præmium indè remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat, quià Juſtitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptio-*

Digitized by Google

acceptione pecuniæ vendit. Bonis malè utuntur, qui juſtè pro temporali lucro judicant. Tales quippè ad veritatem non Juſtitiæ defenſio, ſed amor præmii provocat, quibus ſi ſpes nummi ſubtrahatur, confeſtim à Juſtitiæ defenſione recedunt. Acceptio nummorum prævaricatio veritatis eſt: undè & pro juſto dicitur Iſaiæ 3.. qui excutit manus ſuas ab omni munere, iſte in excelſis habitabit. Verba ſunt Iſidori libro 3. Cap. 58. de ſummo Bono; quæ refert etiàm Beda in ſcintillis Cap. 71. citantur à Gratiano in Canone, qui rectè judicat 11. Quæſt. 3., & tribuuntur Divo Gregorio: In editione verò Pithæi Iſidoro &c.

V. Ex verbis autèm Iſaiæ hìc citatis manifeſtè colligimus, alia eſſe munera pratèr pecuniam, quibus offendi poſsit Juſtitia: dicitur enìm *qui excutit manus ſuas ab omni munere*. Undè optimè obſervat Divus Gregorius, quem citat Gratianus in Canone, ſunt nonnulli 1. quæſt. 1. *Aliud eſt munus ab obſequio, aliud munus à manu, aliud munus à linguà: Munus quippè ab obſequio eſt ſubjectio indebitè impenſa, munus à manu pecunia, munus à linguà favor.* Ità ſcribit Sanctus Doctor in tractatu Evangeliorum homilià 4. in fine. Iſidorus verò lib. 3. de ſummo bono Cap. 58., quem refert Gratianus in Canone, quatuor modis 11. quæſt. 3. optimè exponit, quid ſit munus ab obſequio, & munus à linguà; inquit enìm. *Quatuor modis pervertitur humanum judicium, timore, dùm metu poteſtatis alicujus veritatem loqui pertimeſci-*

Digitized by Google

meſcimus : cupiditate , dùm præmio animum alicujus corrumpimus : odio , dùm contrà quemlibet adverſarium molimur : amore , dùm amico , & proximo complacere contendimus . Omnem hanc doctrinam , propoſitamque veritatem non obſcurè nobis indicabunt verba Divi Auguſtini , qui exponens illa verba Pſalmi 25. nempè : *in quorum manibus iniquitates ſunt , dextera eorum repleta eſt muneribus* , ſic ait : *Munera non ſolùm pecunia eſt , non ſolùm aurum , & argentum , non ſolùm exenia ſunt , neque omnes , qui accipiunt ea , accipiunt munera ; aliquandò enim accipiuntur ab Eccleſiâ . Quod dico , Petrus accepit , Dominus accepit , loculos habuit , ea quæ mittebantur , Judas auferebat . ſed quid eſt accipere munera ? proptèr munera laudare hominem , adulari homini , palpare blandiendo , judicare contrà veritatem proptèr munera . Proptèr quæ munera ? non ſolùm proptèr aurum , & argentum , & hujuſmodi aliquid , ſed etiàm proptèr laudem ; qui judicat , malè munus accipit , & munus , quo nihil inanius : patuit enim illi manus ad accipiendum judicium linguæ alienæ , & perdidit judicium conſcientiæ ſuæ* . His omnibus ſuppoſitis jàm intelligimus , quàm meritò Propheta Iſaias appellet ſocios furum , atque infideles eos , qui diligunt munera . Undè meritò Iſidorus Clarius Tomo 1. Oratione 39. graviter obiurgat eos , qui amore pecuniæ rectam Juſtitiam non adminiſtrant , inquit enim : *Scio unumquemque veſtrum abominari ſcelera , tùm traditionis facinus , ſed intereà non intelligitis bonam veſtri partem ipſo Judâ eſſe deteriores !*

 Nàm

Digitized by Google

Nàm is ſemèl prodidit Jeſum, multi verò ſæpiùs illum produnt, non contenti ſemèl prodidiſſe. At quo pacto inquies? quotiès pecuniæ causà veritatem deſeritis, Jeſum proditis; Ipſe enìm eſt veritas: quotiès pecunià venalis fit Juſtitia, Jeſum proditis; Ipſe enìm factus eſt vobis Juſtitia. Quod ſi hìc quæratur, cùr Deus tantoperè deteſtetur acceptores munerum, cùm tamèn ipſe, qui juſtus eſt, & qui Juſtitiam diligit, æquitatem videt vultus ejus, munera à nobis accipiat, audiendus eſt divus Auguſtinus, qui libro 2. contrà Adverſarium Legis, & Prophetarum numero 36. ſic ait. *Deo tamèn munera offerenda eſſe monſtravit, qui nullius indiget, & munera ſumendo plus confert. Ipſe eſt enìm Prophetarum Deus, qui & munera ſuos accipere vetat, quibus excæcantur oculi judicantium, & munera ipſe quamvis non egeat, accipit, ut pietate faciat opulentas animas offerentium.*

IN

Digitized by Google

IN
CAPUT SECUNDUM
ISAIÆ

Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini &c.

verſ. II.

LECTIO XVI.

I. EXponitur Ezechielis Caput 2., Apocalypſis Caput 5., & oſtenditur, Sacram Scripturam eſſe Librum ſcriptum intùs, & foris, unumque ex ſeptem ſigillis eſſe vocationem Gentium. II. Ex ſufficienti diviſione omnium ætatum Mundi non obſcurè docemur, quid per noviſſimos dies innuerit Propheta. III. Eccleſia quamvis incœperit ab exordio mundi, optimè tamèn dicitur præparata in noviſſimis diebus. Exponitur varia ſignificatio verbi נָכוֹן Nachon. IV. Prophetæ, ſacrique ſcriptores allegoriarum fundamenta plerumquè deſumunt ab iis, quæ ſunt

in more apud homines. Locus Pſalmi 91. explicatur, & ex Jeremiæ Cap. 19 verſu 5., 4. Regum Cap. 17. quid ſit vallis Tophet, quid Gehenna exprimitur. V. Lumbos præcingere, ad quam conſuetudinem referatur. VI. Varius apud veteres cinguli uſus, & multiplex zona. VII. Triplex togæ cinctura. Strophium, & faſciæ variè adhibebantur. VIII. Sacrificia olim in montibus, lociſque excelſis peragebantur; undè deductum eſt nomen Altaris. IX. Vaticinia Prophetarum proponuntur, quibus prædicitur Eccleſia ædificanda, atque ex ipſis Prophetis varia argumenta eruuntur. X. Quiſnàm ſit lapis ille de monte abſciſſus ſine manibus, de quo Dan. Cap. 2.

I. PRænunciari à Prophetà ſub allegorià montis, & Chriſtum, quem Pater æternus dedit caput ſupèr omnem Eccleſiam, & Eccleſiam Catholicam, ad quam vocatæ omnes gentes, omnes confluxere, communis eſt ſacrorum Interpretum expoſitio. Hæc eſt unum ex Chriſti myſteriis, quod divino Spiritu afflati nobis antiqui Prophetæ commendarunt: Sacra enim Scriptura eſt ille liber ſcriptus intùs, & foris oſtenſus Ezechieli Cap. 2., Joanni in Apocalyp. Cap. 5. ſcriptus in interiori ſui parte ob reconditos, atque admirabiles ſenſus, quorum explicatio illis à ſupremo Patre luminum conceſſa eſt, quibus datum eſt noſſe myſteria Regni Dei. Scriptus eſt foris liber iſte ob litera-

tera-

teralem ſignificationem, quà aût antiquorum ſapientiam exquirimus propoſitâ nobis veluti imagine illorum vitâ, aût ad divini cultus amorem, Juſtitiam in proximos ſervandam per leges traducimur. Continet liber iſte divinus, ut vidit idem Ezechiel, lamentationes, & carmen, & væ. Quià ſæpiùs per ora Prophetarum ingrati animi vitium generi humano exprobratur, conqueriturque amantiſſimus Pater, quàm malè homines ſuis beneficiis reſpondeant. Sæpè divina bonitas, magnificentia, Juſtitia, miſericordia, cæteraque attributa in Pſalmis, & Canticis prædicantur. Scriptum eſt etiàm væ, quià in propheticis prædictionibus, ut revocentur homines ab iniquitate, oderintque peccare formidine pœnæ, parata ultricis dexteræ flagella proponuntur, mors peſſima peccatorum declaratur, deſcribuntur acerbiſſima Inferni tormenta, & adventura terribilis dies Judicii enunciatur. Liber iſte, ut obſervavit Joannes loco citato, eſt ſignatus ſigillis ſeptem; ſeptem enìm ſunt Chriſti myſteria, nempe Incarnatio, de quà Iſaiæ Cap. 7. *ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, & Cap. 9. *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis:* Pſalmo 2. *Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodiè genui te*. Paſſio, Iſaiæ 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit:* Pſalmo 21. *foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea*. Reſurrectio, Oſee 6. *vivificabit nos poſt duos dies, in die tertiâ ſuſcitabit nos:* Pſalmo 3. *ego dormi-*

dormivi, & ſomnum cœpi, & exſurrexi, quia Dominus ſuſcepit me. Aſcenſio; Pſalmo 8. *quoniam elevata eſt magnificentia tua ſuper cœlos;* Pſalmo 46. *aſcendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ.* Miſſio Spiritus Sancti, Joelis Cap. 2. *effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem &c.* Vocatio gentium, Oſee Cap. 2. verſu 24. *& dicam non populo meo, populus meus es tu & ipſe dicet, Deus meus es tu.* Extremum Judicium Iſaiæ 3. *Dominus ad Judicium veniet.* Unum igitur ex ſeptem myſtici libri ſigillis, videlicet unum ex myſteriis vitæ Chriſti in hoc capite nobis proponit Propheta, & prædicit in beatâ temporum plenitudine relictâ Synagogâ vocandas eſſe gentes ad Eccleſiam, pro quâ Chriſtus ſemetipſum tradidit, & quam acquiſivit ſanguine ſuo. Hæreamus paululùm litteræ prophetiam explicaturi.

II. Et erit, inquit Propheta noſter, in noviſſimis diebus, per noviſſimos dies intelligens ultimam illam ætatem; quæ numeratur ab adventu Chriſti uſquè ad finem mundi. Omnia enim ſæcula, quæ ab exordio mundi uſquè ad Chriſti adventum defluxere, & uſquè ad finem mundi præteribunt, in ſex ætates dividuntur. Prima incœpit ab Adam, & duravit uſquè ad finem diluvii. Secunda à fine diluvii, & duravit uſquè ad egreſſum Hebræorum ex Egypto. Tertia ab egreſſu Hebræorum, & duravit uſquè ad quartum annum Regni Salomonis, quandò templum cœpit ædificari. Quarta ab incohato templo, uſquè ad

ad finem captivitatis Babylonicæ. Quinta à relaxatà captivitate Babylonicà, & initio Monarchiæ Perſarum, uſquè ad Chriſti adventum. Sexta à Chriſti adventu uſquè ad finem mundi. Hanc ultimam feliciſſimam ætatem nomine unius diei noviſſimi deſignat Micheas Cap. 4. cum ait: *& erit in noviſſimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles, & fluent ad eum populi*. Hàc eàdem locutionis formà retentà Chriſti ætatem deſignavit Jacob Geneſis Cap. 40. cùm filiis ſuis mittendum Redemptorem, ſceptrumque Judæ auferendum prædixit; legimus enìm initio iſtius capitis: *vocavit autèm Iacob filios ſuos, & ait eis: Congregamini, ut annuntiem, quæ ventura ſunt vobis in diebus noviſſimis*. Hanc Apoſtolus ad Galatas Cap. 4. appellat plenitudinem temporum, inquit enìm verſu 4. *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*.

III. Quamvìs autèm Eccleſia Chriſti, naſcente mundo, fuerit deſignata, homineſque juſti per internos, externoſque actus religionis Chriſto adhæſerint, quem dedit æternus Pater caput ſuper omnem Eccleſiam, & primæva illa ſacrificia futurorum eſſent umbræ Sacramentorum. Et hinc Divus Auguſtinus Sermone 217. quem citat Arboreus in ſuà Theſophià: ſic nos docuerit, *Eccleſia Catholica, fra-*

tres

tres, non ſolùm poſt adventum Domini, & Salvatoris noſtri prædicata eſt, ſed etiàm ab initio mundi multis figuris, & Sacramentis ſecretioribus deſignata. Nàm in Sancto Abel Eccleſia Catholica fuit, & in Noe, & in Abraham, & in reliquis uſquè ad adventum Domini Salvatoris. Quamvìs, inquàm, hæc vera ſint; tamèn optimè dicitur Eccleſia fundata in noviſſimis diebus. Quià tùnc manifeſtata eſt gloria ſui capitis per univerſum orbem; tùnc vocatæ ad eam confluxere gentes; tùnc promiſſæ aquæ è fontibus Salvatoris manarunt, quibus delictorum maculæ, & ſordes abſtergerentur; tùnc à Meſſià moriente conditum eſt teſtamentum, quo non jàm hoſpites, & advenæ, ſed cives Sanctorum, & domeſtici Dei declararemur; tùnc ut Filii Dei nominaremur, & eſſemus, ſoluta ſunt effuſo agni ſanguine adamantina illa vincula, quibus, ut ſervi obſtringebamur; tùnc tradente cœleſti Patre pro nobis filium, agnum immaculatum, victimam innocentem, declarata eſt Eccleſia ſponſa agni, & præclariſſimis dotibus ornata eſt Spiritu de Cœlo miſſo; tùnc veluti vas figuli confractæ tyrannorum cervices; tùnc erectum crucis vexillum, ſub quo cœleſti militiæ nomen daremus, & glorioſum de hoſtibus noſtris triumphum reportaremus. Præparata dicitur, ſivè firmata, aùt manifeſtata Eccleſia in noviſſimis diebus, hoceſt, in plenitudine temporum; quià tùnc Chriſtus tradidit ſemetipſum pro eà, tùnc eam acquiſivit ſangui-

ne

Digitized by Google

ne ſuo. Nec mirùm videatur, quod Iſaias dicat: *erit præparatus*. Hoc enìm verbum Hebraicè נכון Nachon, non ſolùm præparare, ſed fundare, munire, firmare, inſtruere ſignificat. Sic Proverbior. 8. verſu 27. legimus: *quandò præparabat Cœlos aderam:* sic Pſalmo 23. *quià ipſe ſupèr maria fundavit eam, & ſuper flumina præparavit eam*: & Pſalmo 88. *Juſtitia, & Judicium præparatio ſedis tuæ*.

IV. Quod verò nomine montis deſignetur à Propheta Eccleſia Chriſti ſuo capiti adhærens, non eſt ſilentio prætereundum, nec brevi compendio explicandum. Primò enìm conſiderare oportet, quod allegoriarum fundamenta plerumquè deſumunt Prophetæ, ſacrique ſcriptores ab iis, quæ in more ſunt apùd homines, quæque antiquà opinione invaluerunt, ut altiùs eorum dicta in ipſis auditorum animis infigantur. Sic Propheta David Pſalmo 91. ut inſtrueret populos, quàm tuti, & muniti ſimus ſub divinæ dexteræ præſidio, & quod nihil, Deo protegente, reformidare debeamus, poſuit antè oculos ea omnia, quæ erant in hominum opinione, atque exiſtimatione terribilia; cecinit enim. *A ſagittà volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & Dæmonio meridiano*: ultimis verbis ad veterum opinionem alludens, quà credebant, Dæmones in meridie potiſſimùm eſſe infeſtos. Callimachus in hymno in lavacra Palladis verſu 71.

Teocritus Idilio 1. aſſerunt, quod Paſtores non audent meridie fiſtulà canere, quià Deum Panem timent. Et Lucanus de Luco ad Maſſiliam ſito, qui apùd populos non tàm in honore, quàm in terrore habebatur, sìc cecinit:

Non illum cultu populi propiore frequentant,
Sed ceſſere Diis, medio cùm Phœbus in axe eſt,
Et Cœlum nox atra tenet, pavet ipſe ſacerdos
Acceſſus, dominumque timet deprehendere Luci

sìc Prophetæ, ut in deſiderium, ac venerationem illius ſacrificii nos inflammarent, quod erat pro ſalute omnium peragendum, utque prænunciarent venturum Redemptorem, eum plerumquè ſùb nomine Agni expreſſerunt: *emitte agnum Domine dominatorem terræ*: Agnum pro fundamento allegoriæ deſumentes, eò quod notiſſima erat apùd omnes victima, & frequens materia ſacrificiorum, undè eſt illud Virgilii Eclog. 1.

Namquè erit ille mihi ſemper Deus, illius aram
Sæpè tener noſtris ab ovilibus imbuet Agnus.

Sìc ab Evangeliſtis, ſacriſque ſcriptoribus ad exprimendum miſerrimum illum, atque infeliciſſimum locum, in quo impiorum animæ æterno ſupplicio cruciantur, adhibita eſt vox Gehennæ deſumpta à valle *Giben Hinnom*, quæ erat propè Jeroſolimam, in quà pueri concremabantur, & offerebantur à parentibus Idolo Moloch, quæ vallis etiam *Tophet*, & vallis filii *Ennom* appellatur Jeremiæ Cap. 19 verſu 5., &

Digitized by Google

5., & 4. Regum Cap. 17. ubi de Joſià legitur: *contaminavit quoquè Tophet, quod eſt in convalle filii Ennom, ut nemo conſecraret filium ſuum, aut filiam per ignem Moloch*. Quæ conſuetudo concremandi filios erat antiquiſſima nota apud Phenices, Pœnos, variaſque gentes. Unde Silius Italicus lib. 4. verſu 767.

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
Poſcere cæde Deos veniam, & flagrantibus aris
Infandum dictu parvos imponere natos.

Quem morem paritèr imitati ſunt Galli, ut refert Cæſar de bello Gallico lib. 6. qui humano ſanguine Heſum, ſive Theutatem Mercurium placabant, & hinc cecinit Lucanus lib. 1.

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Theutates, horrenſque feris altaribus Heſus.

Plura nos congeſſimus agentes de Idololatrià, ac ſuperſtitionibus Gentilium in Idolo Moloch. Sicùt igitùr vallis illa horrendo filiorum ſacrificio deputata à puerorum lamentis Giben hinnom appellabatur, Tophet verò à ſtrepitu tympanorum, quæ pulſabant Sacerdotes, ne auditis puerorum vocibus, ac lamentis offerentes retraherentur à ſacrificio: Ità ex loco omnibus notiſſimo, atque horrendo deſumptum eſt Gehennæ vocabulum, ut ex eo, tamquàm ex quàdàm figurà ducerentur homines in cognitionem illius metuendi loci, in quo impii concremantur, ſinè ſolatio lugent, in quo nulla eſt redemptio, nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

 V. Pul-

Digitized by Google

V. Pulcherrimam etiàm allegoriam ex hominum conſuetudine depromptam adnotare poſſumus Lucæ Cap. 12. ubi Chriſtus diſcipulos ſuos inſtruens, ut bonis, ſanctiſque operibus exercerentur, ut per voluntariam mortem, per contemptum rerum caducarum, per abnegationem voluptatum prompti, atque expediti invenirentur ad illum diem, in quo è vità exeundum eſt, juſtoque Judici omnium operum ratio reddenda, ſic ait: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quandò revertatur à nuptiis.* Quo in loco, quis non videt, deſumptam eſſe allegoriam ab hominum conſuetudine. Cùm enim Judæi, cæterique Orientales populi talaribus veſtibus uterentur, cùm aliquid promptè, atque expeditè eſſet agendum, vel aſperum, longumque iter ſuſcipiendum, præcingebant lumbos zonà, ſivè cingulo, ut laxatæ veſtes uſquè ad talos, quæ impedimento eſſe poſſent, ad lumbos contraherentur. Videatur Euthymius in expoſitione hujus loci, ubi ait: *ſolent, qui aliquid operantur, lumbos habere præcinctos, ut expeditè operentur.* Sic Lucæ Cap. 12. verſu 37. *beati ſervi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes, amèn dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Sic 3. Regum Cap. 18. verſu ultimo: *manus Domini facta eſt ſupèr Æliam, accinctiſque lumbis currebat ante Achab.* Sic 4. Regum Cap. 4.

verſu

verſu 29. Eliſæus dixit ad Giezi: *accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tuâ*. Sic Tobiæ 5. verſu 5. *egreſſus Tobias invenit juvenem ſplendidum ſtantem præcinctum*. Sic deniquè regius Propheta, ut ſignificaret, quàm expeditus ſit Deus, dùm operatur, cecinit Pſalmo 92. *indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe*.

VI. At nè in hujus conſuetudinis expoſitione aliqua æquivocatio oriri poſſit, obſervandum eſt, non unum tantùm apud veteres fuiſſe cinguli, ſeù zonæ uſum, ſed eos, pro ut idem uſus expoſcebat, aliquandò in ſuperiori, aliquandò in inferiori corporis parte fuiſſe præcinctos, variaſque zonas adhibuiſſe. Cingebant enim ſe zona, quâ pecuniam reponebant; Hinc Svetonius in Vitell. Cap. 16. *Simùl dilabentibus cunctis zonâ ſe aureorum plenâ circumdedit, confugitque in cellulam Janitoris*. Aullus Gellius lib. 15. Cap. 12. *cùm Româ profectus ſum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex Provinciâ inanes retuli*. Ulpianus L. 6 ff. de bonis damnatorum: *nec, ſi zonam circà ſe habuerit, protinùs aliquis ſibi vindicare debebit*. Juvenalis Satyrâ 14. verſu 95.

Nocte cadit fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus, & zonam lævâ, morſuque tenebit.

Has autèm zonas geſtaſſe veteres è collo ſuſpenſas, exiſtimat non ſinè fundamento Dempſterus ad Cap. 9. lib. 2. Roſini antiquitatum romanarum.

VII. Quod tunica à veteribus cingeretur, teſtis

teſtis eſt intèr cæteros Tertullianus de Pallio Cap. 5. his verbis: *tunicâ priùs cingulo correpta*: quo loco paritèr appellat *calceos proprium togæ tormentum*, *immundiſſimam pedum tutelam*. Triplicem togæ fuiſſe cincturam, affirmat Roſinus lib. 5. Antiquitatum romanarum Cap. 32. nempè laxiorem, ſtrictiorem, & cinctum Gabinum. Erant etiàm apud veteres faſciæ, & ſtrophia ad cingendum pectus, quod cincturæ genus, quamvìs fœminarum eſſet magis proprium; ut habet Terentius in Eunucho actu 3. Scenâ 3.

Haud ſimilis Virgo eſt Virginum noſtrarum,
Quas
Matres ſtudent
Demiſſis humeris eſſe vincto pectore, ut
Graciles ſient.

Propertius lib. 4. Eleg. 10.

Mollis, & hirſutum cæpit mihi faſcia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.

A viris tamèn Orientalibus ad cuſtodiendum pectus non rarò adhibebatur: Hinc, qui apparuit Joanni in veſte virili Apocalyp. 1. *erat præcinctus zonâ uſque ad mamillas*. Et de Joanne Baptiſtà canit Eccleſia.

Præbuit durum tegumen Camelus
Artubus ſacris ſtrophium bidentes.

Hæc ſufficient, ut explicemus illam conſuetudinem, ſub cujus allegoriâ loquitur Chriſtus Dominus Lucæ 12. dicens: *ſint lumbi veſtri præcincti*.

Plu-

Digitized by Google

Pluraque exempla alia poſſent adduci, ut intelligamus, Prophetas, divinoſque ſcriptores ſuas plerumquè allegorias deſumere ab hominum conſuetudine.

VIII. Revertamur ad Prophetam noſtrum, qui ſub allegoriâ montis Eccleſiam Catholicam à Chriſto Meſſiâ, Redemptoreque noſtro ædificandam exprimit, ut denotaret locum, ad quem omnia vetera ſacrificia, omneſque ceremoniæ referebantur. Antiqui enìm, cùm non haberent templa, aùt non frequens eſſet eorum uſus, ſolebant aùt in montibus, aùt in lucis ſacrificia Deo offerre, quià excelſa loca, cœloque viciniora, digna, quibus inſtituerentur excelſo Deo ſacrificia, judicabant, & ſilentes nemorum horrores ab humano commercio remotos votis, ſupplicationibuſque aptiſſimam ſedem reputabant. De ſacrificiis, quæ in lucis peragebantur, plura dixi, agens de Aſtharte, & Aſtharoth. Conſuetudo autèm offerendi in montibus claſſimè nobis indicatur 3. Regum Cap. 3. verſu 2 ubi legimus: *Populus immolabat in excelſis, non enim ædificatum erat templum nomini Domini.* Et 1. Regum Cap. 9. verſu 12. Sauli quærenti Samuelem prophetam reſponſum eſt: *hodiè enìm venit in Civitatem, quià ſacrificium eſt hodiè in excelſo:* quæ vox à ſacris, diviniſque ſcriptoribus retenta eſt ad indicanda loca rebus divinis deputata: Et hìnc fortaſsè nomen Altaris deductum eſt, quaſi ab alto, ſivè excelſo, quo

quoniàm in eo Altiſſimo Deo ſacrificia offeruntur? Cùm autèm hàc conſuetudine ſacrificandi Deo in montibus, ac lucis gentes abuterentur, populuſque Judaicus fœdà earum imitatione ſacros ritus ad Idololatriam, nefandamque ſuperſtitionem traduxiſſet; conqueſtus eſt ſæpiùs Deus per ora ſuorum Prophetarum, & erranti populo exprobravit Jeremiæ 2. verſu 20. *In omni enim colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix*. Oſee Cap. 4. verſu 13. *ſupèr capita montium ſacrificabant, & ſupèr colles accendebant Thymiama*.

IX. Eccleſiam ædificandam, atque ad eam gentes vocandas non ſolùm Propheta Iſaias, & Micheas, ſed & multi alii, Deo inſpirante, prædixere. Longum eſſet, omnia oracula recenſere, cùm hæc unicuique obvia ſint in ſacris Litteris, & plurima à ſacris Scriptoribus ſint collecta. Videatur doctiſſimus Præſul Daniel Huetius in ſuà demonſtratione Evangelicà Cap. 158. propoſitione 9. Nos hìc ex multis in confirmationem catholicæ veritatis aliqua adducemus. Pſalmo 2. legimus. *Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodiè genui te, poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Hoc vaticinium ad Meſſiam, qui eſt Chriſtus, atque ad Eccleſiam ab ipſo fundandam ſpectare, etiàm ipſi Hebræi fateri debent. Quandòquidem ut optimè notavit Huetius lib. I. demonſtrationis Evangelicæ propoſitione 7. Rabbi

Digitized by Google

Rabbi Jonathan docet, tres eſſe, quibus à Deo dictum ſit, Poſtula, nempè Salomonem, Achaz, & Meſſiam. Salomoni, 3. Regum Cap. 3. pronunciatum eſt: *poſtula, quod vis, ut dem tibi.* Achaz, Iſaiæ Cap. 7. *pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, ſivè in profundum Inferni, ſivè in exceſum ſuprà.* Quod autèm hoc Iſaiæ vaticinium ad vocationem gentium, & ad Chriſtum verum Meſſiam ſuæ Eccleſiæ caput, & Sponſum referatur, ipſa verba declarant. Ille enìm, qui dixit. Poſtula, eſt Dominus, atque dominium univerſale in omnem principatum exercet. Nàm ſi univerſalis Dominus non eſſet, non promitteret poſſeſſionem terræ, hæreditatem gentium ad nutum, & voluntatem petentis. Ille inſupèr, cui hæc ampla poſſeſſio, & hæreditas promittitur, eſt Filius, ex quo deducitur, quod nequè Davidi, nequè Salomoni, ſed tantùm Deo homini facta fuerit hæc promiſſio. Quod argumentum adeò validum eſt, ut eo uſus fuerit ipſe Doctor gentium, cùm inſtrueret Judæos Piſydiæ. Nàm actorum 13. verſu 32. *nos*, inquit, *vobis annunciamus eam, quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt, quoniàm hanc Deus adimplevit filiis noſtris, reſuſcitans Jeſum, ſicùt & in Pſalmo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* In quà quidèm auctoritate notare debemus, adverbium hodiè non ſolùm deſignare momentum æternitatis antè omne tempus, in quo filius genitus eſt Patri per omnia æqualis, & conſubſtantialis, ſed

inſtans Incarnationis, quo carnem noſtram ſuſcepit in immaculato Virginis ſinu, & eam ſibi hypoſtaticè univit. Quod myſterium idem Doctor gentium expreſſit ad Hebræos Cap. 1. cum dixit: *noviſſimè verò locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula*. Et Cap. 5. verſu 5. Inſtans quoquè reſurrectionis, in quo caro impaſſibilis effecta eſt, ac glorioſis dotibus ornata, quod oſtendit Apoſtolus ſupracitato loco actorum 13. Cum autèm neque Davidi, neque Salomoni, imò nec alicui Angelorum dictum ſit, filius meus es tu &c. Poſtula &c. dabo tibi gentes hæreditatem &c. Jàm hæreditas gentium, novaque Eccleſia inſtituta pertinet ad Chriſtum hæredem, qui, ut inquit Paulus ad Hebræos Cap. 1. verſu 4. *tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit: cui enim dixit aliquandò Angelorum, filius meus es tu, ego hodiè genui te?* Inſupèr illi cùm facta eſt promiſsio, dicitur, filius meus es tu, igitùr eſt hæres univerſorum, & ejuſdem Pſalmi 2. poſteriora verba declarant, nos ei obſequium tamquàm capiti noſtro, ac Domino debere. Nàm ubi nos legimus: *apprehendite diſciplinam, nequandò iraſcatur Dominus*, textus Hebraicus habet נשקובר *naſecubar* idèſt oſculamini, filium quod idem eſt, ac adorate filium; cui loquendi modo cohærent verba Pſalmi 21. nempè: *reminiſcentur, & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ*

liæ gentium, quoniàm Domini eſt Regnum, & ipſe dominabitur gentium: Pſalmo 46. verſu 9. *regnabit Deus ſupèr gentes:* Pſalmo 81. verſu 8. *ſurge Deus, judica terram, quoniàm tu hæreditabis in omnibus gentibus:* Pſalmo 85. verſu 9. *Omnes gentes, quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coràm te Domine, & glorificabunt nomen tuum:* Pſalmo 95. verſu 3. & ſequentibus: *annunciate intèr gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus, afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam, & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus, tollite hoſtias, & introite in atria ejus, adorate Dominum in atrio Sancto ejus, commoveatur à facie ejus univerſa terra, dicite in gentibus, quià Dominus regnavit.*

X. Chriſtus etiàm Caput Eccleſiæ prænunciatur Danielis Cap. 2. lapis enìm de monte abſciſſus ſinè manibus, qui factus eſt mons magnus, & replevit univerſam terram, figura fuit divini Redemptoris noſtri, qui lapis dicitur, quià quemadmodùm lapis angularis utrumque angulum jungit, & adnectit, ità in eo duæ diſpares naturæ, humana ſcilicet, & divina hypoſtaticè uniuntur, & eo genus humanum reparante ex Synagogà, & Eccleſià unum ſtabile, & firmiſſimum Eccleſiæ ædificium factum eſt. Dicitur de monte abſciſſus ſinè manibus, quià Spiritus Sancti virtute, non autèm virili commercio in puriſſimo ſinu Virginis Mariæ conceptus eſt: quæ quidèm immaculata Virgo ob excelſas animi ſui dotes meritò ſub allegorià montis

Digitized by Google

deſignatur. *Mons quippè fuit*, ut docet Divus Gregorius Papa in 1. Regum Cap. 1. *Quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit. An non mons ſublimis Maria, quæ ut ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupèr omnes Angelorum choros uſquè ad ſolium Deitatis erexit*. Factus eſt Christus mons magnus, dùm voluit in Cruce pro nobis exaltari; replevit univerſam terram, dum exaltatus à terrà omnia traxit ad ſeipſum. Jàm impletum eſt id, quod divino afflatus ſpiritu prædixit Malachias Cap. 1. verſu 10. *ab ortu enim ſolis uſquè ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*. Quæ regio barbara, aut efferata, in quà non reſonet admirabile Jeſu nomen, quod eſt ſuper omne nomen? in quà immaculatum illud, ac propitiatorium novæ legis ſacrificium non fuerit oblatum? Nolo hic omnia Prophetarum vaticinia recenſere, quæ ſpectant ad fundationem Eccleſiæ, & vocationem gentium, cùm multa jàm adducta ſint in diſſertationibus de ſacrificiis, & multa iſtius operis progreſſu, Deo favente, ſint explicanda. Afferemus ſolùm hic breve argumentum ex eodem Cap. Malachiæ deſumptum, interrogando videlicèt cæcos Judæos, quorum oculos perſtringit evangelica lux, & ſplendor Eccleſiæ per totum orbem diffuſus. Interrogemus, inquàm, eos, àn iſti, qui per totum terrarum orbem ſe profitentur membra Eccleſiæ

cleſiæ Chriſti, qui ipſum credunt eſſe verum Meſſiam, atque abrogatam legem Moyſis, qui offerunt pro mortuorum, vivorumque remedio hoſtiam immaculatam, Corpus nempè & Sanguinem Chriſti, ſint ex Judæis, vel ex Gentilibus. Si ex Judæis, igitùr jàm impleta ſunt, quæ habentur Jeremiæ Cap. 31. ubi, poſt novum fœdus ineundum, poſt legem ſcribendam in cordibus ipſis promittitur, quod non docebit ultrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: *cognoſce dominum, omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſquè ad maximum, ait Dominus*. Si ex gentibus, ergò jam impleta ſunt ea, quæ à Prophetis prædicebantur, cùm jàm magnum ſit nomen Domini in gentibus. Certum eſt autèm, Eccleſiam conſtare, & eſſe fundatam ex Judæis, & gentibus, adeòque quæ de ipſâ prædicebantur, eſſe impleta &c. Videatur illud argumentum, quod deſumpſi ex Aggæo, cùm agerem de ſacrificiis. Nùnc autèm explicandum eſt, quàm aptè ſub allegoriâ montis Eccleſia Chriſti deſignetur. Illa enim eſt mons ſublimis eminentiâ Capitis, eminentiâ ſanctitatis, eminentiâ doctrinæ.

verſ. II.

verſ. II.

In vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes.

LECTIO XVII.

I. Eccleſia ſublimis eminentiâ Capitis. Argumentum Divi Pauli 1. ad Corinth. Cap. 15. II. Eccleſia Chriſti excellentior, & ſublimior Synagogâ. III. Sanctitas Eccleſiæ divinis ſcripturis, & Patrum auctoritate aſſeritur. IV. Ejuſdem Eccleſiæ ſublimitas ob eminentiam doctrinæ. V. Extraordinarius modus, quo doctrina Chriſtiana fuit introducta, & propagata, illam oſtendit eſſe divinam.

I. EMinentiâ Capitis ſublimis eſt Eccleſia. Quod quidèm, ut altiùs mentibus noſtris imprimatur, conſiderare debemus, quod quemadmodùm, creato primo homine, detractaque ei dormienti coſtâ, ſtatìm formata eſt Eva, quæ omnium viventium Mater eſt appellata: Ità dormiente in ligno Crucis ſecundo Adamo, transfixoque ejus latere formata eſt Eccleſia, quæ regeneratos per Chri-

ſtum immaculato ſinu excipit, divinorum Sacramentorum lacte recreat, nutrit, conſervat. Undè Epiphanius lib. 3. adverſus hæreſes hæreſi 78. poſt medium docet. *Dominum quidèm de Maria efformaſſe ſibi ipſi corpus, ab ipsà verò coſtà ædificatam eſſe Eccleſiam in eo, quod punctum, & apertum eſt ipſius latus, & myſteria ſanguinis, & aquæ pretia redemptionis facta ſunt.* Primus Adam caput mulieris, quæ ex ejus coſtà formata eſt, ſecundus Adam caput Eccleſiæ ex ſuo amantiſſimo latere prodeuntis. *Per hominem mors*, inquit Apoſtolus 1. ad Corinthios Cap. 15. verſu 21. & 22. *& per hominem reſurrectio, & ſicùt in Adam omnes moriuntur, ità in Chriſto omnes vivificabuntur.* Verſu verò 45. & ſequentibus: *factus eſt primus homo Adam in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem..... Primus homo de terrà terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis, qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes.* Quibus verbis nos docet Apoſtolus, quod quemadmodùm, ut membra primi Adami culpam, mortem, & miſerias contraximus, ità ut membra ſecundi Adami novam, melioremque vitam acquiſivimus, & ſub influxu divini Capitis recuperavimus amiſſam libertatem. Obtinuimus nomen filiorum Dei ad ampliſſimam hæreditatem, ad ſempiternum regnum. Filium dedit Pater caput ſuper omnem Eccleſiam. De plenitudine ejus omnes accepimus, qui vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre ple-

Digitized by Google

plenum gratiæ, & veritatis. Annòn erit ſumma gloria Eccleſiæ ſub tanto capite? Annòn erit quà-cumque terrenâ ſublimitate eminentior mons iſte admirabilis, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo? etenim Dominus habitabit in finem. Annòn elevabitur ſuper omnes colles Eccleſia, quæ in Chriſto ſubſiſtit, & quæ cum Chriſto capite unam perſonam conſtituit. Hoc docetur à Paſchaſio Diacono lib. 2. de Spiritu Sancto Cap. 4. cujus doctrina laudatur à Synodo Francfordienſi in Epiſtolâ ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & à Beato Gregorio Papâ in libris Dialogorum. Cùm ergò Chriſtus, & Eccleſia unam perſonam conſtituant, Verboque ipſi divino innitatur Eccleſia, tanquàm ſuo capiti, jàm nemini dubium eſſe poteſt, ad quale gloriæ culmen illa elevetur, quanto divinæ gratiæ rore conſpergatur, quantis affluat divitiis adſtans ſicùt Regina a dextris illius, quem Deus præ conſortibus ſuis unxit oleo letitiæ. Jàm poſſumus cum Chryſologo fateri ſermone 60. *Credimus Sanctam Eccleſiam, quam ſic in ſe ſuſcepit Chriſtus, ut eam divinitatis ſuæ faceret eſſe conſortem*. Vegetantur Eccleſiæ membra Chriſto capite. Caro Chriſti ſunt, quàm Verbi divinitas ſibi coaptavit. O beata gens, cujus eſt Dominus Deus ejus, populus, quem elegit in hæreditatem ſibi! Ut Deus fieret noſter, noſtram ſumpſit carnem, ut illius eſſemus hæreditas, carni noſtræ ſuam divinitatem copulavit. Præclarè Sanctus Leo ſerm. 10.

in

in Nativitatem inquit : *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. In nobis utique, quos ſibi Verbi Divinitas coaptavit, cujus caro de utero Virginis ſumpta nos ſumus. Quæ ſi verè noſtra, idèſt verè humana non eſſet; Verbum caro factum non habitaſſet in nobis. In nobis autèm habitavit, qui naturam noſtri corporis ſuam effecit.*

II. Ad ſummum gloriæ faſtigium ſub capite Chriſto evehitur Eccleſia, & amplitudine meritorum ſuprà Synagogam extollitur. Olìm loquebatur Deus Patribus in Prophetis, diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio. Olìm jubebat, ne ad ipſum auderent accedere, ut legimus Exodi Cap. 3., & quos fovebat beneficiis, divinà majeſtate deterrebat; Nùnc ad nos accedit, ut ad ipſum accedamus, manet in nobis, ut in ipſo maneamus. *Manemus autèm in illo*, inquit Auguſtinus tract. 27. in Joann. *cùm ſumus membra ejus, manet autèm ipſe in nobis, cùm ſumus templum ejus.* En quantùm membra Eccleſiæ extolluntur. *Deus*, ut inquit Apoſtolus ad Epheſ. Cap. 2. verſu 6., *cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu, ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ.* Horum verborum myſterium conſiderans Sanctus Ambroſius in Pſalm. 118. ſic ait: *Habemus enim aliquid, quod fortaſsè Angeli non habeant, ubi enim abundavit peccatum, ſuperabundavit gratia. Nobis eſt natus Chriſtus ex Virgine, legimus enim: Puer natus eſt nobis;*

Filius datus eſt nobis. Nobis carnem ſuſcepit, imò potiùs nos in illà carne ſuſcepit, quandò filium hominis in Dei ſede conſtituit. Non lego Angelos in Dei ſede niſi ſtantes, niſi miniſterium deferentes, non lego Angelos, ſed homines conſepultos Chriſto, & in Chriſto reſuſcitatos. Denique, ait Apoſtolus, quià convivificavit nos in Chriſto, cujus gratià eſtis ſalvati, & ſimùl ſuſcitavit, ſimùlque ſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu.

III. Ex hàc eminentià capitis, eminentem eſſe quoquè Eccleſiam in ſanctitate, deducimus; non poteſt enim caput, quod eſt totiùs ſanctitatis fons, & origo, ſanctitatem in membra ſibi ſubiecta non influere. Hìnc ad membra Chriſti, cujus ipſe in terris gerebat vices, & exercebat poteſtàtem non interruptà ſucceſſione in futuris quoquè Pontificibus duraturam, ſcribebat Petrus Epiſtolà 1. Cap. 2. verſu 9. *Vos autèm genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ut virtutes annuncietis eis, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum.* His verbis non minùs nobilitatem, quàm ſanctitatem Eccleſiæ Catholicæ commendans, quæ conſperſa Chriſti Sanguine, & abluta fontibus Sacramentorum ad illud ſanctitatis culmen provecta eſt, ut admirabili divinæ charitatis vinculo capiti ſuo coniuncta ſanctitatis odorem longè, latèque diffuderit. Hoc eſt myſticum illud corpus, in quo perenni capitis influxu perpetuà bonorum operum communicatione membra vegetantur. Hæc eſt illa Eccleſia,

cleſia, quam Chriſtus Sanguine deſponſavit, Prophetæ oraculis prænunciarunt, Apoſtoli doctrinis, ac prædicatione dilatarunt, martyres glorioſiſſimis triumphis decorarunt, Confeſſores integerrimæ vitæ exemplis illuſtrarunt, Virgines denique incorruptibilibus ſertis coronaverunt. Quæ ſocietas iſtà ſanctior, quæ Angelos, quæ cives cœleſtes, quæ animas divinæ legis amantes ſinu ſuo excipit, fovet complectitur? Cœlo charitate coniungimur, qui infinitis ſpatiis à Cœlo diſtamus. Noſtri ſunt, qui nos in hoc agone reliquerunt, quos mors inevitabilis ſeiunxit, amor non ſeparat, ut jàm non contriſtemur, ſicùt, & cæteri, qui ſpem non habent! Pertinemus ad illam ſanctam Civitatem, cujus requiem in hoc exilio ſuſpiramus. Notas nobis fecit Chriſtus vias vitæ, ut nos adimpleret lætitià cum vultu ſuo. Quod ſi jàm *non ſumus hoſpites*, & *advenæ*, ut inquit Apoſtolus ad Epheſ. Cap. 2., *ſed ſùmus cives ſanctorum*, & *domeſtici Dei ſuperædificati ſupèr fundamentum Apoſtolorum*, & *Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu*. Si noſtra converſatio in cœlis eſt, quàm Sancta erit Eccleſia, quæ prætèr homines ſanctè, pièque viventes talia etiàm membra comprehendit? Si templum ſcripturarum teſtimonio ſanctum appellabatur, & quidquid ſacrificiorum uſui erat deputatum, quidquid Deo oblatum erat; & hinc Exodi 30., Lucæ Cap. 2. *omne maſculinum adaperiens vulvam, Sanctum Deo vocabitur*!

Digitized by Google

Cùr non appellabimus Eccleſiam Sanctam, in quà habitat Verbum caro factum? in quà eſt legittimus uſus veri, & immaculati ſacrificii, & ſanctiſſimo trium votorum fœdere copulantur animæ Deo? Supremus ille Dominus, qui regnavit, & decorem indutus eſt, qui regnavit in ligno, ut primi parentis damna repararet, ille Dominus, ſupèr cujus humerum factus eſt principatus, huic ſuæ Sponſæ admirabilem ſanctitatis contulit ſplendorem. Omnis gloria ejus ab intus, cujus decorem Rex concupivit; jàm poſt eam adducuntur regi Virgines, jàm animæ, filiæ caſtiſſimæ, regeneratæ per fontes Baptiſmi audiunt, quid loquatur Deus, & quomodò loquatur pacem in plebem ſuam, & ſupèr Sanctos ſuos, & in eos, qui convertuntur ad cor. Jàm vident exaltatum in cruce Dei filium omnia ad ſe trahentem. Jàm inclinant aurem ſuam, ut percipiant gratiſſimum ſonum nominis Jeſu, quod eſt ſupèr omne nomen. Jàm obliviſcuntur populum ſuum, populum videlicèt antiquum, & ad ſummum Paſtorem converſę profitentur, quod ſunt populus ejus, & oves paſcuę ejus. Jàm obliviſcuntur domum patris ſui, quià veterem hominem cum ſuis actibus depoſuere, & ingreſſæ ſunt domum firmitèr ædificatam, atque fundatam ſuprà firmam petram. Quod ſi ad quamcumque ſocietatem fovendam, & conſervandam ipſa religio neceſſaria eſt, & ſine ipſâ omnia dilabuntur,
cor-

corruunt, & facillimè intereunt, domum Dei decebit ſanctitudo in longitudine dierum, quià ad eam conveniunt fideles animæ, vota perſoluunt, ſacrificia offerunt, Sacramentis divinis abluuntur.

IV. Hæc Eccleſia, ſivè mons domus Domini præparatus in vertice montium non minùs ſublimitate capitis, & ſanctitatis elevatur ſupèr omnes colles, quàm eminentià doctrinæ. Eſt enim Eccleſia non minùs Chriſti Sponſa, quàm cuſtos fideliſſima doctrinæ, quam ille verbo, & exemplo promulgavit, ad quam omnia Prophetarum vaticinia diriguntur, & in quà ipſæ Eccleſiaſticæ leges fundantur. Nulla eſt hàc doctrinà firmior, nulla ſanctior, & nulla, quæ cum eà conferri poſſit. Eſt enim fidelis, ſapientiam præſtans parvulis, ità ſancta, caſta, & illibata, ut omnes terrenos affectus exterminet, & Deum ſolum quærendum eſſe proponat. Hàc docemur, omnem caducarum rerum ſollicitudinem deponere, quærere primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus. Non tantùm amicos, ſed hoſtes etiàm, & perſecutores diligere, ipſis benefacere, pro ipſis orare. Hæc omnem animi ſimulationem vetat, omnem concupiſcentiam damnat, modeſtiam ſuadet, nobiſque proponit, ut ad divinam perfectionem ſancta, atque aſſidua imitatione contendamus, Patris perfectionem ſempèr præ oculis habentes. Annòn erit cæteris eminentior illa doctrina, quam Deus nobis tradidit in verbo ſuo? Hoc

Hoc eſt illud melius teſtamentum, quod mediatoris ſanguine confirmatum, & melioribus promiſſionibus ſancitum eſt. Hæc eſt illa doctrina, quæ nobis in terra viventibus, ut ad Cœlum aſcenderemus, data eſt, & quæ ut altiùs imprimeretur mentibus noſtris, veritas de terrà orta eſt. Jàm quidquid nobis agendum decernitur, exemplo confirmatùr. Crucem veluti ſapientiæ cathedram aſcendit Magiſter Deus homo, & ærumnis ſuis, patientià, morte notas fecit nobis vias vitæ. Illo præeunte cognovimus, quod fortis eſt, ut mors, dilectio, & quid agere poſſint amantes. Vis jàm videre, ut ſumma quædam pulchritudo veritatis in hàc doctrinà reperiatur: conſidera admirabilem capitum omnium concordiam, cœleſtium dictorum harmoniam, prædictionum infallibilitatem, congruentiam parabolarum, ſtyli gravitatem divinà ſuavitate permiſtam, quà fatemur, verba Chriſti ad nos loquentis eſſe dulciora ſupèr mel, & favum. Nunquàm nos decepit, nec decipere potuit, qui hæc tàm ſalubria pręcepta nobis reliquit, & qui illa fidelitèr obſervarunt, non ſunt fraudati à deſiderio ſuo. Et quis eſt tàm cęcus, qui non videat, quàm divino, quàm admirabili, extraordinarioque modo hęc doctrina fuerit propagata?

V. De Sion jàm exivit lex, & Verbum Domini de Jeruſalem. Reges terrę, ac Principes, qui convenerunt in unum adverſùs Dominum, & adver-

verſus Chriſtum ejus, qui cogitabant Chriſtianę legis vincula diſrumpere, & jugum ſuaviſſimum immaculatę religionis excutere, jàm exaltato in Crucem Chriſto victi, ac proſtrati jacent, jàm ſuadente Apoſtolo obmuteſcit Orator, loquente Piſcatore credit Romanus rerum Dominus, & latiùs dominante Divinà ſapientià ſpecioſis evangelizantium pedibus coronata capita ſubiiciunt Reges, & doctrina, cui totus orbis reſiſtebat, ut vera, ut ſancta, ut immaculata prędicatur, atque ipſis veterum ſapientum dogmatibus anteponitur. Quicumque conſideraverit, quibus modis illa introducta, & propagata fuerit, negare non poterit, illam eſſe verè divinam; non enim contrà orbem, & hunc infidelem, miſſi ſunt viri nobiles, divites, potentes, ſagaces, fortes, atque humanis artibus instructi, ſed pauci Apoſtoli, pauperes, debiles, omnique humano prędidio carentes: Miſit eos æternus veritatis Magiſter, ſicùt agnos intèr lupos, domuit orbem non ferro, ſed ligno, voluitque, ut fidelium naſcentium meſſis fœcundaretur Martyrum ſanguine, apoſtolicis ſudoribus irrigaretur, non potentià, ſed patientià triumpharunt, qui Chriſtianæ militię nomen dedere, & qui Magiſtrum cathedram crucis aſcendentem imitati ſunt, opprobriis, flagellis, morte acerbiſſimà noſtri nominis gloriam provexerunt. Infirma mundi elegit Deus, ut confunderet ſapientes, admirabili divinæ ſapientiæ artifi-

cio

cio factum eſt, ut à ſimplicitate columbæ Leonum ferocitas vinceretur, ut agni habitarent inter Lupos, ipſique Lupi in agnos converterentur, nempè ut homines belluarum more viventes manſuetudinem induerent, & depoſità feritate cœleſtium virtutum amore inflammarentur.

verſ. IV.

verſ. IV.

Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non levabit gens contrà gentem gladium, nèc exercebuntur ultrà ad prælium.

LECTIO XVIII.

I. IUdæorum, & Hæreticorum opinio de bello. II. Quamvìs bellum ad jus gentium referatur, pertinet tamèn ad illud jus, quod eſt nobis cum cæteris animantibus commune. III. Cauſæ belli juſti ex ſacris literis aſſignantur uſquè ad numerum 11. *inclus. XII. Bellum defenſivum non deſtruit leges naturæ. XIII. Qui bellum juſtè movet, juſtitiam ſervare dicitur, & quarè. XIV. Bellum non repugnat legi ſcriptæ. XV. Nèc legi Evangelicæ. Adducuntur ex ſacris litteris, & Patribus validiſſima argumenta. XVI. Ex malis, atque incommodis, quæ ex bello oriuntur, non benè infertur, illud eſſe damnabile. XVII. Proponuntur teſtimonia novi teſtamenti, quibus videtur bellum reprobari. XVIII. Chriſti Domini verba Matthæi Cap.* 5. *verſu* 39. *& Lucæ Cap.* 6. *debent exponi attentis circumſtantiis temporum. XIX. Aſſignatur modus diſcernendi, quid ſit præceptum, & conſilium.*

Digitized by Google

XX. Doctrina Divi Auguſtini in Canone Paratus 23. *Quæſt.* 1. *XXI. Explicatio clara verborum Iſaiæ ex eadem Auguſtini doctrinâ adducitur.*

I. SOlent Judæi, qui ſcripturas ad improprios ſenſus detorquent, ea, quæ de Meſſiæ adventu à Prophetis prænunciata, & jam impleta ſunt, ità explicare, ut quæ in literali ſenſu accipienda ſunt, in myſtico ſenſu intelligenda eſſe, contendant: contrà verò, quæ myſticam explicationem requirunt, ad literalem ſenſum extendunt. Hinc fit, ut ſi eis obiicias, quæ de Chriſti paſſione, & morte habentur Pſalmo 21. nempè: *foderunt manus meas, & pedes meos &c. dederunt in eſcam meam fel &c.* ſtatìm ad myſticum ſenſum, atque rabbinicas expoſitiones recurrunt. Contrà verò in literali perſeverant, cùm vident dari ſibi aliquod fundamentum aſſerendi, adhùc expectandum eſſe Meſſiam. Quarè cùm exponunt Prophetarum textus, præcipuè illum Iſaiæ Cap. 11. *habitabit Lupus cum agno*, & hunc præſentem *non exercebuntur ultrà ad prælium*; deducunt, nondùm veniſſe Meſſiam, eò quod plerumquè bellis, atquè diſcordiis terrarum orbis concutiatur. Contrà eos autèm exponemus, quo in ſenſu ſit intelligendum hoc Iſaiæ vaticinium. Hæretici autèm, quos Catholicorum Principum poteſtas juſtè ſolet bonis expoliare, atque extermina-

re

re à finibus ſuis, bellum plerumque damnarunt, aût aſſerentes, illud à Deo prohibitum, aût falsò docentes, illud Evangelicæ legi eſſe contrarium. Manichæi bella ex natura rei illicita eſſe affirmabant, & hinc Reges, quorum geſta antiquum teſtamentum commemorat, & qui bella adversùs hoſtes ſuos geſſerunt, tamquàm impios accuſabant, ut refert Divus Auguſtinus Lib. 22. contrà Fauſtum Cap. 74 & ſequentibus. Lutherani autèm, & Anabaptiſtæ conſtantèr aſſerunt, non convenire bella cum lege Evangelicà: Quorum errorem, ut priùs oppugnemus, probemuſque bellum nèc legi ſcriptæ, nèc legi Evangelicæ eſſe contrarium, imò neque ex naturà rei repugnare.

II. Supponimus primò, quod quamvìs bellum ad jus gentium referatur, & ab eo generalitèr ejus origo repetenda ſit L. ex hoc jure ff. de Juſtitià, & jure §. Jus autem, inſtitut. titul. de jure naturali &c. Quamvìs bellum aggreſſivum optimum naturæ humanæ ſtatum pervertere videatur; cùm poſt rerum diviſionem nocendi crudelitas, ulciſcendi cupiditas, dominandi libido, bella, diſſenſiones, ac jurgia introduxerint, ut ait Cicero lib. 1. officiorum: *etenim illi libidinem dominandi cauſam belli habent, & maximam gloriam in maximo imperio putant*. Quamvìs bella rapinis, cædibus, ſanguine, ac flagitiis regna polluerint. Et hinc Poeta 1. Georg.

Quippè ubi fas verſum, atque nefas tot bella per orbem

Tàm multæ ſcelerum facies.
Bellum tamèn defenſivum, ac juſtum; quod ad propria tuenda, atque ad conſervandam totius communitatis pacem, & tranquillitatem intrà juſtitiæ limites ſuſcipitur, ad illud jus pertinet, quod eſt nobis cum cæteris animantibus commune, & quod ipſa animantia docet rerum omnium magiſtra natura, ut textus eſt in L. 1. §. arietes ff. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur. Suppono ſecundò, ſermonem eſſe de bello defenſivo, ac juſto, de eo nempè, quod indictum ſit ad propulſanda publica damna, ad propria recuperanda, cùm alitèr haberi, & obtineri non poſſint; non verò de bello, quod movetur ſolà dominandi cupiditate, ac libidine rapiendi aliena. In quo, ne aliqua æquivocatio oriri poſſit, nomine belli defenſivi comprehendimus ipſum bellum aggreſſivum, quod movetur, aùt ad compenſandam publicam iniuriam, cùm alitèr compenſari non poſſit, aùt ad bona publica recuperanda. Quamvìs enim per hoc bellum vis alteri inferatur, non infertur tamèn animo rapiendi aliena, ſed neceſſitate recuperandi ſua, quod eſt quoddam defenſionis genus. Bellum tamèn, ut licitum ſit, debet moveri à Principe, ſeù Republicà non cognoſcente ſuperiorem in temporalibus; debet juſtà causà moveri, ita Divus Thomas 2. 2. Quæſt. 40. Articulo 1.

III. Prima juſti belli conditio unicuique ob-

via

via eſt, quemadmodùm, & tertia; nàm bellum movere ad eum ſpectat, cui publica ſalus, & tranquillitas eſt demandata, adeòque ſupremam poteſtatem requirit: Nec minùs eſt neceſſaria recta intentio; natura enìm, quæ feras armavit ad pugnam, homines edidit inermes, ſed inermes homines munivit ingenio, & feras ad pugnam ſempèr armatas ratione voluit eſſe deſtitutas, ut diſcerent homines, aùt in pace eſſe vivendum, aùt ſi neceſſitas ad pugnam vocaret, non ſinè ratione eſſe dimicandum.

III. Ut autèm videamus, quàm juſtæ debeant eſſe cauſæ, ut bellum moveatur, aliqua ex ſacris litteris exempla hìc adducemus. Movetur primò juſtè bellum ad recuperanda bona, quæ fuerunt ab hoſtibus occupata, ſeu ad parentes, & fratres redimendos. Sìc Geneſis 14. narratur, quod cùm Chodorlahomor Rex Elamitarum cum Regibus in belli fœdus adſcitis Loth fratrem Abrahæ captivum duxiſſet, & prædam rerum omnium optimarum, quas poſſidebat; *cum audiſſet Abraham captum videlicèt Loth fratrem ſuum, numeravit expeditos vernaculos ſuos 318. & perſecutus eſt uſquè Dan, & diviſis ſociis irruit ſupèr eos nocte..... eduxit quoquè omnem ſubſtantiam, & Loth fratrem ſuum.*

IV. Secundò movetur juſtè bellum, ſi Communitas hoſtes habeat, qui odio ſuo implacabili, & religionis augmentum, & officia pietatis impedire

Digitized by Google

re poſſint. Sic Exodi 17. verſu 9. *Dixit Moyſes ad Joſue, elige tibi viros, & egreſſus pugna contrà Amalech.* Erant Amalecitæ poſteri Eſau, qui in poſteros Jacob implacabile odium conceperant. Undè verſu 14. ejuſdem Cap. *Dixit Dominus ad Moyſen, ſcribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Joſue; delebo enim memoriam Amalech ſub Cœlo.* Quod præceptum renovatur pariter Deuter. 25. verſu 17.

V. Tertiò juſta eſt cauſa belli contrà eos, quorum arte, & fraudibus maximum damnum, aùt Regno, aùt Reipublicæ fuit illatum. Sic quià Madianitarum conſilio, & exemplo initiatus fuerat populus Iſrael Idolo Beelphegor, & ob id occiſi vigintiquatuor mille homines, hoc præceptum dedit Deus Numeror. 25. verſu ultimo: *hoſtes vos ſentiant Madianitæ, & percutite eos, quià & ipſi hoſtilitèr egerunt contrà vos, & decepere inſidiis per Idolum Phogor.*

VI. Quartò movetur juſtè bellum ob acceptam à Principe publicam contumeliam. Sic, ut narratur lib. 2. Regum Cap. 10. cùm Hannon Rex Ammonitarum affeciſſet gravi iniurià legatos Davidis, quos miſerat, ut eum in morte Patris conſolarentur. Quæ quidèm iniuria eodem Cap. verſu 4. exprimitur. *Tulit itaquè Hannon ſervos David, raſitque dimidiam partem barbæ eorum, & præcidit veſtes eorum medias, uſque ad nates, & dimiſit eos.* Tùnc David non ſolùm fortiſſimum exercitum contrà Ammonitas inſtruxit, ſed ut narratur Cap. 12. verſu ulti-

ultimo captâ Rabbath urbe fortiſſimâ, ad quam tanquàm ad præſidium Ammonitæ confugerant: *tulit diadema Regis eorum de capite ejus pondo auri talentum, habens gemmas pretioſiſſimas, & impoſitum eſt ſupèr caput David, ſed & prædam Civitatis aſportavit multam valdè, populum quoquè adducens ſerravit, & circumegit ſupèr eos ferrata carpenta, diviſitque cultris, & traduxit in typo laterum; ſic fecit univerſis Civitatibus filiorum Ammon.* Et nè alicui videatur hęc vindicta nimiùm atrox, pro certo ſupponere debet, quod prædicti legati miſſi à Davide ad Regem Hannon fuere contrà jus gentium contempti, & Rex cum ſuis Civitatibus non ſolùm neglexit placare Davidem juſtè iratum, ſed ut narratur Cap. 10. *Videntes filii Ammon, quod injuriam feciſſent Davidi, miſerunt, & conduxerunt mercede Syrum Rohob, & Syrum Soba viginti millia peditum, & à Rege Maacha mille viros, & ab Iſtob duodecim millia virorum.* Quod autèm in legatorum irriſione fuerit jus gentium violatum, clariſſimè patet. Legati enim Principum olim deferebant in dexterà virgam, ſive Caduceum, quo quidèm ſigno Principum perſonam repræſentabant, & tuti etiàm intèr hoſtes cenſebantur. Legatur Tullius lib. 1. de Oratore, ubi ait: *Legatus is eſſe debet, qui non tantùm Caduceo, quàm nomine Oratoris ornatus, incolumis vèl intèr hoſtium tela verſari poſſit.* Et in Oratione de Aruſpicum reſponſis inquit: *Sic ſentio jus legatorum cùm hominum præſidio munitum ſit, tùm etiàm divino jure eſſe vallatum.*

VII. Quin-

VII. Quinta cauſa, ob quam juſtè poteſt à Rege, vel à Republicà moveri bellum, eſt, cùm ſubditi negant ſuo ſupremo Domino obedientiam. Sic David bellum indixit adverſùs Seba filium Boeri, qui cum aliis ab ipſo Davide defecerat, nèc eum pro legittimo Rege recognoverat, ut narratur 2. Regum Cap. 20. verſu 1.

VIII. Sextò poſſunt juſtè arma ſumi adverſùs eos, qui præbent hoſtibus auxilium. Sìc à David percuſſa ſunt duo millia virorum, quià ſuppetias tulerant Adarezer Regi Soba. Vide Caput 8. verſu 5. lib. 2. Regum.

IX. Septimò poſſunt bello oppugnari, qui malefactores defendunt, ne puniantur. Sìc filii Iſrael acerrimum bellum ſuſcepere adverſùs Beniamitas, eò quod defendiſſent aliquos ex ſuà tribu, qui graviſſimum, ac nefandum flagitium perpetraverant, & noluiſſent tradere eos puniendos. Legatur hujus belli hiſtoria expreſſa in lib. Judicum Cap. 20. verſu 1. & hiſtoria patrati delicti in Cap. 19. per totum.

X. Octavò poſſunt juſtè oppugnari, qui in Idololatriam lapſi ſunt. Sic Moyſes cum filiis Levi aggreſſus eſt filios Iſrael, & interfecit triginta tria millia virorum, eò quòd vitulo aureo cultum adhibuiſſent. Legatur Cap. 32. Exodi verſu 26.

XI. Nonò, aùt cùm negatur innocens tranſitus per aliquam Provinciam, aùt cùm fœdus inter

tèr Principes initum violatur. Sic ut legimus Numerorum Cap. 21. verſu 1. Iſraelitæ bellum moverunt adverſus Arad Regem Chananeæ, eò quod eis denegaſſet, ut per ſuam Provinciam innocentèr, & ſine alicujus offenſione pertranſirent. Et, ut expreſſum eſt 4. Regum Cap. 3. verſu 5. Rex Joram indixit bellum Regi Moab: in quo autèm iſte Rex fœdus violaſſet, legitur verſu 4. *Porrò Meſa Rex Moab nutriebat pecora multa, & ſolvebat Regi Iſrael centum millia agnorum, & centum millia arietum cum velleribus ſuis, cùmque mortuus fuiſſet Acab, prævaricatus eſt fœdus, quod habebat cum Rege Iſrael.*

XII. His itaquè ſuppoſitis jàm patet, bellum non deſtruere leges naturæ, præcipuè ſi loquamur de bello defenſivo; Si enìm jure naturali licitum eſt homini privato ſe, ac ſua tueri: Cùr vim vi repellere, cùr hoc non licebit Regi, aùt Communitati, quandò alia via non agnoſcitur, quà repetantur negata, defendantur propria, & Dominantium majeſtas ab iniuriis vindicetur? Quod quidèm argumentum ad bellum etiàm aggreſſivum ſuprà explicatum trahi poteſt. Nàm ſi homo privatus per viam juris poteſt adverſario ſuo intentare litem, vel actionem iniuriarum: Cùr non poterit Princeps per viam belli, quandò via juris eſt inſufficiens? Alioquì publica iniuria, quæ Principi, vel Communitati irrogatur, nunquàm poſſet compenſari, & reſarciri, & conſequentèr nèc publica

Juſtitia, & indemnitas conſervari.

XIII. Quod ſi dicas, intèr eos, qui bellum mutuò gerunt, non eſſe pacem, & charitatem, ideòque violari leges naturæ, quæ pace, & concordia firmantur. Brevitèr reſpondemus, non eſſe quidèm pacem, & charitatem intèr eos, qui iniuſtam cauſam fovent, illos verò, qui juſtè bellum movent adverſùs iniuſtos, ſervare juſtitiam, & charitatem. Quod quidèm clariſſimo axiomate probant Theologi. Homo privatus, qui ex charitate diligit ſe, & proximum ſuum, poteſt ſecundùm ordinem charitatis præferre ſe proximo: ergò idem poterit Princeps, & Communitas, adeòque quamvìs alteri damnum inferant in proprio damno propulſando, in vindicandà iniurià publicà, quæ alitèr reſarciri non potuit. Servantur tamèn, & leges charitatis, quibus poſſumus nos proximo præferre, dummodò ei non fiat iniuria, & leges Juſtitiæ, cujus officium eſt illatam publicam iniuriam legittimè vindicare.

XIV. Quod etiàm bellum legi ſcriptæ non repugnet, adducta exempla declarant, in quibus manifeſtum nobis eſt, bella aliquandò, Deo approbante & jubente, fuiſſe indicta; ut conſtat ex Numerorum Cap. 25. & lib. 1. Regum Cap. 15. Quìn etiàm non mediocritèr illi laudantur, qui ſe fortitèr in bello geſſerunt, ut Abraham Geneſis 14. verſu 19., revertenti enìm è prælio Abrahamo Melchi-

Melchiſedech Rex, ac Sacerdos lætus occurrit: *benedixit ei, & ait: benedictus Abraham Deo excelſo, qui creavit Cœlum, & terram, & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt.* Levitæ paritèr Exodi 32. verſu 19. quibus ait Moyſes: *conſecratis manus veſtras hodiè Domino, unuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, ut detur vobis benedictio.* Et ad Hebræos Cap. 11. verſu 32. laudantur Gedeon, Barac, Sampſon, Jephte, Samuel, David, quos quidèm fortitèr adverſus hoſtes dimicaſſe, ſacrarum literarum teſtimonia confirmant. Non ergò laudarentur, ſi contrà præſcriptum legis bella geſſiſſent.

XV. Bellum deniquè non repugnare legi Evangelicæ, probari poteſt ex illo Lucæ Cap. 3. verſu 14. Nàm cùm multi acceſſiſſent ad Joannem Præcurſorem Chriſti, ut docerentur, atquè inſtruerentur in illà doctrinà, quam prædicabat, quæ non eſt diverſa ab eà, quam Apoſtoli tradiderunt, & tanquàm Legati Chriſti Domini promulgarunt, legimus ibidèm, quod *interrogabant autèm eum, & milites dicentes, quid faciemus & nos? Et ait illis, neminem concutiatis, nequè calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Non docuit ergò Joannes eos, quos ad adventum Domini, atquè ad ejus præcepta diſponebat, ut militiam deſererent, ſed componi poſſe cum lege Chriſti militiam indicavit, dummodò, qui in acie decertant, à rapinà, à violentià, & calumnià abſtineant, & ſervent etiàm in

by Google

caſtris leges pietatis, & religionis. Act. Apoſtolorum Cap. 10. narratur Cornelii Centurionis hiſtoria, qui quidèm accepit Spiritum Sanctum, & baptizatus eſt, non tamèn legimus, quod militiam deſerverit. Matthæi Cap. 8. laudatur fides Centurionis, cujus Servum Dominus ſanavit, nequè ei imponitur, ut à militià recedat. Quibus omnibus maturè perpenſis ſcribit Auguſtinus ad Bonifacium Epiſtolà 207. & citaturà Gratiano in Canone. Noli exiſtimare 23. quæſt. 1. *Noli exiſtimare, neminem Deo placere poſſe, qui in armis bellicis militat. In his erat Sanctus David, cui Dominus tàm magnum perhibuit teſtimonium. In his etiàm plurimi illius temporis juſti. In his erat & ille Centurio, qui Domino dixit, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum. Hoc ergò primùm cogita, quandò armaris ad pugnam, quià virtus tua etiàm ipſa corporalis donum Dei eſt, ſic enìm cogitabis de dono Dei non facere contrà Deum. Fides enìm, quandò promittitur, etiàm hoſti ſervanda eſt, contrà quem bellum geritur, quantò magìs amico, pro quo pugnatur? Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas, ut liberet Deus à neceſſitate, & conſervet in pace.* Non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, ſed bellum geritur, ut pax acquiratur. Eſto ergò etiàm bellando pacificus, ut eos, *quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas. Beati enìm pacifici, ait Dominus, quià Filii Dei vocabuntur. Si autèm pax humana tàm dulcis eſt pro temporali ſalute mortalium, quantò eſt dulcior pax divi-*

divina pro æternà ſalute Angelorum? Itaquè hoſtem pugnantem neceſſitas perimat, non voluntas.

XVI. Nè verò aliquis aſſereret, bella evangelicæ doctrinæ repugnare, adducendo omnia mala, atque incommoda, quæ bella ſolent plerumquè afferre, laudatus idem Doctor lib. 22. contrà Fauſtum Cap. 74. & 75. citato in Canone. Quid culpatur 23. quæſt. 1 ipſis adverſariorum oppoſitionibus occurrit; inquit enim. *Quid culpatur in bello, an quià moriuntur quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum eſt, non religioſorum. Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis amor, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſiqua ſimilia, hæc ſunt, quæ in bellis jure culpantur.* Quibus verbis clariſſimè oſtendit, non damnari, atque prohiberi à Chriſto Domino bella, ſed abuſus bellorum. Quod explicat luculentèr ſermone 19. de Verbis Domini, adducto paritèr à Gratiano in Canone *militare* eàdem causà, & quæſtione. *Militare*, inquit, *non eſt delictum, ſed proptèr prædam militare peccatum eſt; nec Rempublicam gerere criminoſum eſt, ſed ideò gerere Rempublicam, ut rem familiarem potiùs augeas, videtur eſſe damnabile. Propterea enim providentià quàdam militantibus ſunt ſtipendia conſtituta, ne dùm ſumptus quæritur, prædo graſſetur. Dicit ipſe Dominus; reddite, quæ Dei ſunt, Deo, & quæ Cæſaris, Cæſari. Igitùr, quod Cæſar præcipit, ferendum eſt; quod Imperator indicit, tolerandum eſt, ſed fit intolerabilè, dum prædam*

exa-

Digitized by Google

exactores accumulant. (item infra) *Interrogaverunt Joannem & milites, quid faciemus & nos? Ait illis Joannes: neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, ſed contenti eſtote ſtipendiis veſtris ...... Quicumque ſtipendia publicè decreta conſequitur, ſi ampliùs quærit, tanquàm calumniator, & concuſſor Joannis ſententiâ condemnatur.*

XVII. Quià verò aliqua ex novo teſtamento adduci poſſunt teſtimonia, quibus videtur, uſum belli omninò reprobari, neceſſe eſt, ut in illis explicandis aliquantulùm immoremur. Et primò doctrina Chriſti videtur omninò contraria uſui armorum. Nàm Matthæi Cap. 5. verſu 39. Sic ille Diſcipulos inſtruebat: *Ego autèm dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſiquis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram; & ei, qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & quicumque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo alia duo.* Similitèr Lucæ Cap. 6. verſu 19. *Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram, & ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiàm tunicam noli prohibere; omni autèm petenti te tribue, & qui aufert, quæ tua ſunt, ne repetas.* Quà Chriſti Domini doctrinà non ſolùm vindicta, & aggreſſio, ſed omnis etiàm propria defenſio prohibetur. Aliorum etiàm defenſio, etiàm innocentium interdicitur Matthæi Cap. 26. verſu 52., ubi Petro gladium educenti ad Domini Magiſtri defenſionem dictum eſt. *Converte gladium tuum in locum ſuum; omnes enim, qui acceperint gla-*

Digitized by Google

gladium, gladio peribunt. Deniquè Divus Paulus Cap. 12. ad Romanos ſcribens, eos non ſolùm ab iracundià, ſed etiàm à defenſione deterret, inquit enim, *Non vos defendentes cariſſimi, ſed date locum iræ*.

XVIII. Ut autèm omnes ſupradictæ auctoritates exponantur, & difficultates etiàm omnes diluantur, quæ ex illis frequentiſſimè erui ſolent. Suppono primò, Chriſti Domini verba non eſſe ad literam exponenda, ſed juxtà eum ſenſum, quem ex circumſtantiis temporum, locorum, ac perſonarum, quibus Chriſtus loquebatur, ſacri interpetres deducunt. Venerat divinus Redemptor, ut expoliaret Principatus, & poteſtates non potentià, ſed juſtitià. Venerat, ut præclariſſimo humilitatis, omniumque cœleſtium virtutum exemplo amplam, & ſpatioſam nobis patefaceret viam ad beatam Patriam, quà excideramus. Venerat, ut reformaret imaginem ſuam, ut reſtitueret innocentiam. Venerat, ut Eccleſiam Sanguine ſuo deſponſaret, ut homines ab Idolorum culturà, à voluptatibus ad immaculatæ religionis præcepta traduceret. Et quemadmodùm non humanis artibus, non opibus, non potentià orbem expugnavit, ſed torcular calcavit ſolus, & in gentibus non fuit vir ſecum, obedientià eos proſtravit, qui inania meditabantur, & inſurgebant adversùs eum, humilitate humiliavit ſicùt vulneratum ſuperbum, & in multitudine virtutis ſuæ diſperſit inimicos ſuos. Ità voluit, ut Apoſtoli,

Digitized by Google

ſtoli, ac Diſcipuli, quos veluti operarios mittebat in vineam ſuam, veri illius imitatores reperirentur. Convertendi erant Lupi in Agnos, ſed patientiâ, ac manſuetudine multiplicandum erat acerbiſſimis mortificationibus granum Evangelii, ſanguine Magiſtri, ac diſcipulorum adeunda gentium hæreditas: utquè appareret admirabile divinæ ſapientiæ artificium, qui à Chriſto mittebantur ad prædam animarum, debebant corpus ſuum contemnere, omnem ſollicitudinem caducarum rerum exuere.

XIX. Suppono ſecundò, quod illa Chriſti Domini verba ex Matthæo, & Lucà adducta, ſi ad omnia tempora referantur, non continere præceptum, ſed conſilium. Qui enim aſſerit illis hodiè homines adſtringi, ne etiàm in judicio repetant, quæ ſua ſunt, ut auferenti tunicam pallium etiàm debeant concedere, ut vim vi non repellant; conſideret generalem regulam diſtinguendi præceptum à conſilio, ſumendo ſcilicèt oppoſitum illius, quod proponitur. Si oppoſitum fieri non poteſt ſine culpà, præceptum eſt; Sin autèm, erit tantùm conſilium. Patet res clariſſimo exemplo; Si auferenti tunicam, non des pallium, imò ſi petas, ut reſtituat, ſi percutienti alteram maxillam non præbeas, nullum reatum committis; igitùr illa verba non ſunt ſtrictè ad literam intelligenda, ut præceptum, nequè ad omnia tempora ſe extendunt; aùt damnant leges Juſtitiæ, ſed proponunt, qua humi-

humilitate, quà patientià præditi debeant eſſe illi, qui mittuntur ad animas Chriſto acquirendas.

XX. Suppono tertiò, quod oportebat ad alliciendos homines ad amorem virtutis, ut virtus exemplo magìs, quàm verbo monſtraretur, & sic à Chriſto, & Diſcipulis ejus naſcens Eccleſia heroicæ patientiæ, humilitatis, caſtitatis, paupertatis, cæterarumque virtutum exempla deſumeret: adultà autèm Eccleſià, & fundatà ſuprà firmam petram laudat quidèm eos, qui omnia contemnunt, ut Chriſto vivant, non damnat divites, laudat eos, qui patientèr ferunt iniurias, qui ablata non repetunt, non tamèn uti transgreſſores judicat, qui ablata in judicio petunt. Illa igitùr tàm heroicæ manſuetudinis, ac patientiæ documenta illis præcipuè temporibus debebant exerceri, in quibus Martyrum ſanguis ſemen erat Chriſtianorum, & fides perſecutoribus augebatur. Et quamvìs omnes, qui piè volunt vivere, debeant in Chriſto Jeſu perſecutionem pati, debeant gaudere, & exultare, cùm eos oderint homines, & ejecerint, cùm dixerint omne malum adversùs eos; non tamèn prohibentur vim vi repellere, iniuriarum litem intentare, & ſua in Judicio repetere, nequè Regi, aùt Reipublicæ denegatur, ut publico bono conſulant etiàm per ſubſidium belli, cùm alitèr fieri non poſſit. Hæc enìm omnia doctrinæ Chriſti non averſantur. Audiamus divum Auguſtinum, qui in Sermone de Pue-

ro Centurionis, quem refert Gratianus in Canone Paratus 23 Quæſt. 1. apertè docet, præcepta patientiæ magis ad præparationem cordis, quàm ad oſtentationem corporis pertinere: quà quidèm diſtinctione omnes propoſitæ difficultates diſſoluuntur. Inquit enim Sanctus Doctor. *Paratus debet eſſe homo juſtus, & pius, patientèr eorum malitiam ſuſtinere, quos fieri bonos quærit, ut numerus potiùs creſcat bonorum, non ut pari malitiâ ſe quoquè numero addat malorum. Deniquè iſta præcepta magis ad præparationem cordis, quæ intùs eſt, pertinere, quàm ad opus, quod in aperto ſit* [*ut teneatur in ſecreto animi patientia cum benevolentiâ, in manifeſto autèm id fiat, quod eis videtur prodeſſe poſſe, quibus benevelle debemus*]. *Hinc liquidò oſtenditur, quod ipſe Dominus Jeſus exemplum ſingulare patientiæ, cùm perc uteretur in faciem, reſpondit; Si malè dixi, exprobra de malo; ſi autèm benè, quid me cædis? Nequaquàm igitùr præceptum ſuum, ſi verba intueamur, implevit, neque enim præbuit percutienti alteram partem, ſed potiùs prohibuit, ne qui fecerat iniuriam, augeret. Et tamèn paratus venerat non ſolùm percuti in faciem, verùm etiàm pro his quoquè, à quibus hæc patiebatur, crucifixus occidi, pro quibus ait, in cruce pendens, Pater ignoſce illis, quià neſciunt, quid faciunt*. Concludit infrà. *Sunt ergò iſta præcepta patientiæ ſempèr in cordis præparatione retinenda, ipſaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, ſempèr in voluntate complenda eſt*. Et paulò poſt. *Ac per hoc ſi terrena iſta Reſpublica præcepta Chriſtiana cuſtodiat, & ipſa bella*

Digitized by Google

bella ſinè benevolentià non gerentur, ut ad pietatis, juſtitiæque pacatam ſocietatem victis faciliùs conſulatur. Nàm, cui licentia iniquitatis eripitur, utilitèr vincitur; quoniàm nihil eſt infelicius felicitate peccantium, quà pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velùt hoſtis interior roboratur.

XXI. Hàc doctrinà intellecta facilè exponentur propoſita verba Iſaiæ, qui ait: *non exercebuntur ultrà ad prælium*. Antequàm enim Divinus Præceptor legem amoris, charitatis, & patientiæ promulgaret, occupaverat hominum animos libido dominandi, & inſatiabilis habendi cupido eos exercebat ad pugnam, & rapinam. At verò in beatà temporum plenitudine omnes, qui ſanctiſſimo amoris vinculo intèr ſe uniti Chriſto capiti copulantur, non exercentur ad prælium, ſed ad concordiam, non præparantur, ut pugnent, ſed ut parcant. Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nèc ejus præcipua cura in hoc reponitur, ut alterius ſanguinem fundat, ſed ut ex hoſtibus amicos faciat. Quicumque animadverterit, qualis fuerit primitivæ Eccleſiæ ſtatus, non dubitabit, quantùm ipſi cohereant Prophetarum vaticinia. Quanta pax, & concordia erat intèr eos, qui ſequebantur Chriſti veſtigia, & ejus militiæ nomen dabant? *erant illis omnia communia, & diſtribuebatur unicuique, ſicùt cuique opus erat*. Undè bella, & lites in nobis, nonnè ex concupiſcentiis noſtris? Legem pacis reliquit Chriſtus, quæ ſi ab omnibus promptè, atque exactè obſervaretur,

 uberri-

uberrimi fructus pacis perciperentur. Attento ergò illiùs legis ſuaviſſimæ ſtatu arma omnia erant deponenda, quià debebant homines armaturam fidei induere, & ſolùm adversùs rebelles concupiſcentias confli&tari, quæ ſi rationis fræno compeſcantur, omnis ceſſabit occaſio belli. Nunquam erit mihi hoſtis, qui ſecùm pugnaverit, & ſeipſum vicerit, nec mea rapiet, aut concupiſcet ille, qui ſua contempſerit. Audiamus Arnobium lib. 1. adverſùs gentes in principio, ubi ait: *Si omnes omninò, qui homines eſſe ſe non ſpecie corporum, ſed rationis intelligant poteſtate, ſalutaribus ejus, pacificiſque decretis aurem vellent commodare paulìſpèr, & non faſtu, & ſupercilio tumidi ſuis potiùs ſenſibus, quàm illius commonitionibus crederent, univerſus jàm dudùm orbis mitiora in opera converſis uſibus ferri, tranquillitate in molliſſimà degeret, & in concordiam ſalutarem incorruptis fœderum ſanctionibus conveniret.*

verſ. X.

Digitized by Google

verſ. X.

Ingredere in petram &c.

LECTIO XIX.

I. V*Erba Prophetæ ironicè prolata, neminem eſſe, declarant, qui ſe ab irato Judice, ejuſque juſto judicio poſſit eximere. II. Bernardi auctoritate aſſeritur, in myſticà Petrà, nempè in Chriſto ſecurum præſidium nobis præparari. III. Meditatio Paſſionis Chriſti, efficax remedium ad curanda vulnera conſcientiæ. Capitis* 2. *Canticorum locus ad intelligendas columbæ proprietates nos manuducit. IV. Diabolus ſub figurà avis circumvolitantis exprimitur. Verſus* 10. *Cap.* 11. *Canticorum adducitur, atquè oſtenditur cum Bernardo, foramina Petræ eſſe vulnera Chriſti. V. Herinacei proprietas aſsignatur, & ad expoſitionem Pſalmi* 103. *brevitèr ſignificatur, quinàm comparentur Herinaceis. VI. Ut depellamus omnem timorem, invitant nos Chriſti vulnera. VII. Nihil nobis exteriùs nocebit, ſi ad amantiſsimum Redemptoris ſinum recurramus. VIII. Cùm ex Petrà, ut docet Bernardus, omnis Martyrum fortitudo, qui commendant Martyrum fortitudinem, debent ſequi conſilium.*

I. Poſt-

I. POſtquàm pacificum Eccleſiæ fundandæ ſtatum Propheta deſcripſerat, ac vocationem Gentium prænunciaverat, ponit iterùm antè oculos populi ſui graviſſima ſcelera, quibus ille divinam Juſtitiam provocabat, & tacitè indicat horrendum illud exterminium, ac vaſtationem, quam irruentibus hoſtibus in pœnam ſui delicti Judæi erant perpeſſuri. Et cùm plerumquè timor hominibus conſulat, ut remotiſſima, ſecretioraque loca quærant, quorum præſidio à communi excidio ſe eripiant; deſperandam eſſe à futuris malis immunitatem, conſtantiſſimè affirmat Propheta, oſtendens eos, qui contrà Populum Judaicum inſurgent, eſſe miniſtros divini furoris, à quo mortalium nemo, qui peccando juſtiſſimam, tremendamque majeſtatem provocant, ſe eximere, aut abſcondere poteſt. Quomodò enim fugere poſſumus eum, qui omnia videt; & qui immenſitate ſuà omnia implet? Oſtendit igitùr imminere ſuperbis Judæorum cervicibus gladium inimicorum, armatam eſſe flagellis divinam dexteram, neminem eſſe, qui ab eà poſſit eruere eos, qui opera manuum hominum adoraverunt. Et hìnc quaſi per conceſſionem, aùt Ironiam hortatur eos, ut ad cavernarum latibula, quæ plurima erant in aſperis Judeæ montibus, confugiant, ut à gladio omnia devaſtante immunes eſſe poſſint: Quaſi dicat. Oh ſtulti, atquè indurati Peccatores, qui

Digitized by Google

qui in fallaci veſtrà pace confiditis, qui Deum ſpernitis, ac ſanctiſſimas leges conculcatis, qui ligno ſupremam, omnipotentemque majeſtatem poſtponitis, quò fugietis, cùm exterminator hoſtis advenerit, cùm urbes veſtras, domos, prædia ferro, igne devaſtaverit? Nunquid vos cavernoſi montium receſſus defendent, aùt ſubterraneæ cavernæ abſcondent? Omnia videt iratus Judex, & quo olìm protegente, parvo numero irruentem adverſariorum multitudinem fugaſtis, ejeciſtis, conculcaſtis, ipſo deſerente, hoſteſque veſtros protegente, timore, morte, ac ſervitute opprimemini. Deus videns eſt, quem vos provocaſtis Deos adorando, qui oculos habent, & non vident. Ubi ſunt Dii veſtri, in quibus habebatis fiduciam, ſurgant nùnc, & opitulentur vobis, ac in neceſſitate vos protegant. Peccaſtis ſine timore, moriemini ſinè auxilio. Habuerunt teſtes crimina veſtra, careant defenſore. Hunc fuiſſe verborum Iſaiæ ſenſum, deducere poſſumus ex davidicà confeſſione, qui divinam immenſitatem recognoſcens omnia pervadentem, & altiſſimam majeſtatem omnia intuentem, sìc ait Pſalmo 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in Cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris: etenìm illùc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Nos verò, qui literalem verborum ſenſum explanavimus, ea etiàm ad mora-

moralem ſenſum sic reducimus, & hanc concluſionem elicimus. Qui vult ſecurus eſſe, duo quærat tutiſſima latibula. Ingrediatur Petram, nempè ipſa Chriſti vulnera. Abſcondatur in foſsà humo, nempè in ſepulcro mortem ſedulò recogitando.

II. Quid tutiùs eſſe poteſt in hàc valle lacrymarum, ubi cum adverſariis quotidiè conflictamur quàm, ut inquit Gregorius lib. 5. Moralium Cap. 23. *homo ipſe extinctus mundo lateat, & à cunctis exteriorum rerum perturbationibus intrà ſinum ſe intimi amoris abſcondat*. Hæc eſt ampla hæreditas Domini filii merces, ac pretioſus fructus ventris immaculati, cùm infirmo homini conceditur, ut longè à ſtrepentium curarum tumultu ſuaviſſimum ſomnum capiat in ſinu amoris ſui. In hàc hæreditate morandum, cum fruſtrà in terrenis rebus requies perquiratur. Militia eſt vita hominis ſupèr terram. Pugnat ille cum miſeriis, timet duram pauperiem pati: èn ut ſuccurritur ejus timori, & cùm fodere non valeat, mendicare erubeſcat, benignè invitatur à Cœleſti Patrefamilias, ingredere in petram, abſcondere in foſsà humo. *Nèc verendum*, inquit Bernardus Sermone 62. in Cantica numero 6. *quod patiatur repulſam, qui & vocatur, ut intret. Ingredere in petram, abſcondere in foſsà humo; infirmæ adhùc, ac inerti animæ, quæ, (juxtà quod in Evangelio quidam de ſemetipſo confitetur, fodere non valet, & mendicare erubeſcit) foſsa oſtenditur humus, ubì lateat, donèc convaleſcat*,

Digitized by Google

leſcat, & proficiat, ut poſſit & ipſa per ſe vacare ſibi foramina in petrà, per quæ intret ad interiora verbi, animi utiquè vigore, & puritate.

III. Quod ſi vulnera nobis ab hoſtibus infliguntur, ſi tetrà errorum caligine mentes offunduntur. *Quid tàm efficax*, inquit idem Bernardus numero 7. *ad curanda conſcientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Chriſti vulnerum ſedula meditatio?* Meditemur & nos, ſed meditemur ut Columba, meditemur ut Sponſa, de quà legitur Canticorum Cap. 2. *oculi ejus ſupèr rivos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident juxtà fluenta pleniſſima.* Ut ſitim extinguat, limpidiſſimas aquas requirit Columba, atque in iis veluti in ſpeculo clariſſimo cæterarum avium circumvolitantium umbram diſtinguit, ſpeculatur, quem citiſſimè fugiat. Hauriamus & nos aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris, illìc tanquàm in ſpeculo verum amorem à falſo diſcernemus, & profectò intelligemus, quales nobis inſidias, quale exterminium terrenus amor nobis moliatur.

IV. Sub allegorià avis circumvolitantis plerumquè Diabolus in ſacris litteris exprimitur; præcipuè Habacuc Cap. 3. ibi enìm nos legimus: *Diabolus ſtetit antè pedes ejus.* (Hebraicè loco diaboli ponitur nomen Keſeph, quod avem ſignificat). Circumvolitat hoſtis, ut capiat, ut devoret, at caſtiſſimæ Sponſæ, timidiſſimæ Columbæ periculo cœ-

 leſti

leſti conſilio ſuccurritur; dicitur enim Canticorum 2. verſu 10. *Surge, propera amica mea, Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Diſcamus à mellifluo Doctore, quænam ſint hæc foramina petræ, ad quæ veluti ad refugium, atque præſidium ſuum munitiſſimum Sponſa invitatur, & allicitur. *Alius*, inquit Bernardus Sermone 61. in Cantica numero 3. *hunc locum ita exponit, foramina petræ, vulnera Christi interpretatus, rectè omninò. Nam Petra Christus. . . . . In his paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum, ubi reponat pullos ſuos; in his ſe Columba tutatur, & circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem, & ideò ait Columba mea in foraminibus petræ: Vox Columbæ in petrà exaltavit me: &* item: *Statuit ſuprà petram pedes meos. Vir ſapiens ædificat domum ſuam ſupèr petram,* (Matthæi. 7.) *quòd ibi nec ventorum formidet injurias, nec inundationum. Quid non boni in petrà? in petrà exaltatus, in petrà ſecurus, in petrà firmitèr ſto; ſecurus ab hoſte; fortis à caſu, & hoc quoniàm exaltatus à terrà.*

V. Hinc intelligemus abſconditum ſenſum in verbis Regii Prophetæ Pſalmo 103. nempè: *Montes excelſi Cervis; petra refugium herinaceis.* Viri perfecti Cervis aſſimilantur, qui velociſſimo curſu montes altiſſimæ contemplationis conſcendunt; & abiecto rerum omnium terrenarum pondere prompti ſunt, & expediti, ut ad fontem vitæ accedant, & potentur ſuaviſſimo torrente divinæ voluptatis. Ipſis refugium ſunt montes excelſi; quia non humi ja-

jacent, nèc ſtatuunt oculos ſuos declinare in terram, ſed levant ſempèr oculos ſuos ad cœleſtem Patriam, quàm ſuſpirant, ad montes ſublimes, undè veniet auxilium ipſis. Herinaceis autèm juxtà Auguſtinum hìc, & Gregorium homiliâ 9. in Ezechielem, comparantur Chriſtiani ſimplicem fidei doctrinam habentes, illi videlicèt, qui acres adhùc tentationum ſtimulos ſentiunt, circumdantur aculeis deſideriorum, nèc omnium voluptatum duritiem excuſſerunt. Solet Herinaceus, quùm eum canes inſequuntur, ad petram confugere. Quot hoſtes inſurgunt adverſùs eos, qui ſanctitatis viam ingrediuntur? Ideò Deum ſuis gemitibus exorabat Rex pœnitens: *erue à frameà Deus animam meam, & de manu canis unicam meam.* Foris inſidiæ ſunt, intùs timor; foris pugnæ hoſtium, intùs pudor commiſſi; proponitur oculis corporis, quidquid allicit, delectat, & illecebris ſuis nocet; proponitur oculis mentis juſtiſſimus furor, & armata divina dextera flagello. Quarè clamabat idem David: *Domine, ne in furore tuo arguas me, nequè in irâ tuâ corripias me.* Cognoſcebat tandèm, quod tutiſſimum inveniret præſidium, ac refugium, ſi confugeret ad Dominum, dicens: *Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quià Deus meus es tu.* Chriſtus ergò eſt illa Petra, ad quàm herinacei, nempè homines adhùc infirmi debent confugere. *Petra*, inquit Bernardus loco citato, *refugium herinaceis. Et reverà, ubi tuta*, firma-

Digitized by Google

firmaque infirmis ſecuritas, & requies niſi in vulneribus Salvatoris? Tantò illic ſecurior habito, quantò ille potentior eſt ad ſalvandum. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus inſidiatur, non cado, fundatus enim ſum ſuprà firmam Petram.

VI. Currere nos jubet Apoſtolus, & currere, ut comprehendamus, cùm omnes, qui in ſtadio currunt, omnes quidèm currunt, ſed unus accipit bravium. Movemur propoſito præmio, & ſpes nos excitat, allicit, impellit, ſed incerti àn odio, vèl amore digni ſimus, angimur, affligimur, timemus. Ut depellamus omnem timorem, invitant nos vulnera Chriſti: Suſpiramus manum Patris benedicentis, timemus dexteram Judicis fulminantis, vocat nos Pater ad ſinum, venite ad me omnes, inquit Judex è throno crucis. Accedamus ad petram, ut firmemur, loquamur ad petram, ut diſcamus voluntatem Domini. *Quis cognovit*, inquit cum Prophetà Bernardus Sermone 61. loco citato in Cantica numero 4. *ſenſum Domini, aùt quis conſiliarius ejus fuit? At clavis reſerans, clavis penetrans factus eſt mihi, ut videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen? clamat clavus, clamat vulnus, quod verè Deus ſit in Chriſto, mundum reconcilians ſibi. Ferrum pertranſiit animam ejus, & appropinquavit cor illius, ut non jàm non ſciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis Sacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in*

quibus

quibus viſitavit nos oriens ex alto. Patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut ſinè timore liberati de manu inimicorum noſtrorum ſerviamus illi in ſanctitate, & juſtitià omnibus diebus noſtris. Divinus Rex in cruce exaltatus introduxit nos in cellaria ſua, ut omni procùl timore fugato, & accepto ſpiritu adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater, exultemus, & lætemur in eo memores uberum ſuorum ſupèr vino. Guſtemus, & videamus, quàm ſuavis eſt Dominus, qui nos pauperes, ac miſerrimos reſpicit, & cujus palpebræ interrogant filios hominum. Idem reſpicit terram, & facit eam tremere; Nobis tamèn in petrà ſecurum refugium promittit: non trepidabit cum terrà, qui à terrà exaltatur fundatus ſuprà firmam petram.

VII. Nihil nobis exteriùs nocebit, ſi induſtrià divinæ charitatis abſcondamur in vulneribus Salvatoris, Scio enim, quod neque mors, neque Angeli, neque Principatus, aùt Poteſtates, aùt Creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. *Stat Martyr*, inquit Bernardus loco citato numero 8. *tripudians, & triumphans toto licèt lacero corpore, & rimante latera ferro, non modò fortitèr, ſed alacritèr ſacrum è carne ſuà circumſpicit ebullire cruorem. Ubi ergò tùnc anima Martyris? nempè in tuto, nempè in petrà, nempè in viſceribus Jeſu, vulneribus nimirùm patentibus ad introeundum; Si in ſuis eſſet viſceribus ſcrutans ea, ferrum* pro-

Digitized by Google

profectò ſentiret dolorem, non ferret, ſuccumberet, & negaret. Nùnc autèm in petrà habitans, quid mirum, ſi in modum petræ durverit? Sed nequè hoc mirum, ſi exul à corpore dolores non ſentiat corporis, nequè hoc facit ſtupor, ſed amor; ſubmittitur enìm ſenſus, non amittitur, nèc deeſt dolor, ſed ſuperatur, ſed contemnitur. Ergò ex petrà Martyris fortitudo.

VIII. Si ex petrà martyris fortitudo, qui commendant fortitudinem martyrum, imitentur conſilium, confugiant ad petram, ut vincant, ut nunquàm timeant. O petra, ò amor, ò vulnera! nolite timere puſillus grex, quià complacuit Patri veſtro dare vobis regnum, cùm Filius in ſanguine à vulneribus manante fecit nos Deo noſtro regnum. Timeant, qui infiguntur in limo profundi, ubi non eſt ſubſtantia. Exultent illi, qui firmiſſimæ petræ adhærent. In ſecreto enìm cordis dulciſſimi Jeſu repoſita eſt omnis noſtra pax, omnis noſtra felicitas. Omne bonum nobis oſtenditur in petrà. Allicitur anima, ut amica, invitatur, ut ſponſa, requiritur, ut Columba. Surge, ei dicitur, propera amica mea, Sponſa mea, Columba mea. Et quoniàm timor ſolet vocis officia impedire, ne ſponſa timeat, ei præcipitur, ut loquatur: *Sonet vox tua in auribus meis*. Reſonet vox animæ in auribus dilecti ſui, & dicat cum Auguſtino, *ſerò te amavi, ſerò te amavi pulchritudo tàm nova, pulchritudo tàm antiqua, ſerò te amavi*. Confiteatur Jeſum coràm hominibus;

nibus: *gaudium enìm Domini*, *inquit loco citato Bernardus*, *fortitudo noſtra*, *quid ni gaudeat ad vocem fortiſſimæ confeſſionis? Deniquè & requirit eam cum deſiderio*, *ſonet*, *inquiens*, *vox tua in auribus meis*, *nec cunctabitur rependere vicem ſecundùm ſuam promiſſionem*, *continuò ut ſe confeſſus fuerit coràm hominibus*, *confitebitur & ipſe coràm Patre ſuo*.

verſ. X,

verſ. X.

Abſcondere in foſsâ humo à facie furoris Domini, &c.

LECTIO XX.

I. *MOrtis meditatio eſt præſidium adverſùs pericula. II. Sepulchra nos admonent conditionis noſtræ, & hìnc monimenta à veteribus appellata. III. Tithymali, ſivè herbæ lactariæ ſuccus à veteribus adhibitus ad ſcribendum, & cinis caracteribus conſperſus ad ipſos intelligendos. Balthaſſaris hiſtoria deſcribitur, & rei propoſitæ accomodatur. Multa cognoſcuntur in cinere, quæ in felicitate non diſtinguebantur. IV. Locus ex Job Cap. 1[illegible]. explicatur, ubi ipſe ait, ſcribis enìm contrà me amaritudines. V. Excitabitur à ſomno vitiorum, qui meditatur in ſepulchris communes miſerias. Habacuc Caput 3. diſquiritur, & ex diverſis verſionibus utilia axiomata eruuntur. VI. Oſſa Joſephi ex Ægypto aſportata erant Judæis ſpeculum, quo actiones ſuas componerent. VII. Sepulchra ſunt afflictorum ſolatium, & frænum malè viventium.*

I. QUamvìs mors ſit omnibus terribilis, & amara ejus recordatio, tamèn adversùs pericula-

culis tutiſsimum remedium eſt, ſi abſcondamur in foſsâ humo, hoc eſt ſegregati à ſtrepitu, & tumultu omnium curarum ſepulchra conſideremus. Hinc Seneca amico ſuo Lucilio ſcribebat: *tu tamèn mortem, ut nunquàm timeas, ſemper expecta, vis adverſùs hoc corpus liber eſſe? tanquàm migraturus habita: propone tibi quandoquè hoc contubernio carendum, fortior eris ad neceſſitatem exeundi, nullius rei meditatio tàm neceſſaria eſt.*

II. Cùm mentis oculos ad ſepulchra convertimus, admonemur ſtatìm conditionis noſtræ, & hinc ſepulchra monimenta etiam à veteribus appellantur. Cognoſcimus exeundum eſſe, ſupereſſe nobis æternitatem, imminere judicium, & arguente præteritorum criminum conſcientiâ jàm apparent, quàm deteſtanda illa ſint, quæ nos in felicitate poſiti minima exiſtimabamus, & quàm promptè, quàm expeditè noſtræ ſaluti conſulendum ſit. Audiamus pœnitentem Regem, qui Pſalmo 76. verſu 6. ait: *cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui, & meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* Cognoſcebat enìm, quantùm conferat ad mundandam conſcientiam, meditatio noviſſimorum.

III. Multi mortalium, qui blandientis felicitatis umbram, & rerum prætereuntium curſum ſequuntur, ſummâ ope nituntur, ut corporis valetudinem conſervent, opes augeant, famam apùd exteros acquirant. Interìm non vident, quantis ſe

Digitized by Google

periculis exponant, in quantis divinas leges tranſgrediantur, in quantis æternum Judicem provocaverint quas pœnas mereantur; Cùm verò in foſſà humo ſedulà cogitatione abſconduntur, deterſa ab oculis mentis caligine jàm vident, & diſtinguunt, qualem temporis jacturam fecerint, quantùm à verà felicitate diſceſſerint, quantùm erraverint, quantùm lugere debeant. Scribit Plinius lib. 26. Cap. 8., quod ſucco herbæ lactariæ aliqui olìm ſcribebant, quo inareſcente caracteres occultabantur, ſi verò cinere conſpergerentur, ſtatìm apparebat, ac legentibus revelabatur, quidquid ſcriptum erat. *Tithymalum noſtri herbam lactariam vocant, alii lactucam caprinam, narrantque lacte ejus inſcripto corpore, cùm inaruerit, ſi cinis inſpergatur apparere litteras*. Omnibus fortunæ bonis in hac vita affluebat Balthaſſar, omne animi ſtudium reponebat in oſtendenda ſui Regni potentià, præſentium amator, futurorum immemor, contemnebat Deum, imitabatur belluas; *fecit grande convivium Optimatibus ſuis*, ut narratur Danielis Cap. 5. *præcepit ergò jàm temulentus, ut afferrentur vaſa aurea & argentea, quæ aſportaverat Nabuchodonoſor pater ejus de templo, quod fuit in Jeruſalem, ut biberent in eis Rex, & Optimates ejus, uxores, & concubinæ illius. Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos, argenteos, æreos, ferreos, ligneoſque, & lapideos. In eàdem horà apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis contrà candelabrum in ſuperficie parietis aulæ*

aula Regia, & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Conturbatum fuiſſe Regem, nèc intellexiſſe ſcripturam etiàm vocatis ad conſilium Magis, Chaldæis, & Aruſpicibus Regni, exprimitur hoc in eodem capite. Nec mirum eſt, Regem Idololatriæ, crapulæ, ac voluptatibus deditum intelligere non potuiſſe, quid contrà eum erat ſtatutum, & ſcribebatur. Si ille aliquandò ſedulà meditatione cineres, ac ſepulchra reſpexiſſet, non in tantà mentis caligine verſaretur, ac profectò ſciviſſet, quid divinæ Juſtitiæ debebatur. Vidiſſet in ſepulchris communi ſorte ereptos & homines fuiſſe illos, quos tanquàm Deos venerabatur. Cognoviſſet non in vino, & commeſſationibus Regum potentiam firmari, ſed in adminiſtrandà Juſtitià, in diffundendo ſuaviſſimo odore virtutum. Daniel contemptor rerum caducarum, Daniel jejunio deditus, atquè aſſuetus meditationi mortis revelavit ſcripturam, quam nemo poterat dignoſcere, aùt exponere: Quàm clarè, quàm diſtinctè in cinere ignoti illi caracteres Regi infeliciſſimo manifeſtarentur. Erat ſcriptura: *Mane Thecel, Thares*. Interpretatio verò. *Manè, numeravit Deus Regnum tuum, & complevit illud*. In cinere apparet, quod moriuntur Reges, & regna, & quod

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumque turres...

In cinere diſtinguitur, brevem eſſe felicitatem do-

Digitized by Google

minantium, longum laborem, ſtatutam eſſe diem; in quà, qui cæteros potentià ſuperarunt, moriantur ut cæteri, præ cæteris judicentur, præ cæteris puniantur. In cinere cognoſcitur, quantùm contemnant ſupremum Dominatorem illi, qui regnant tanquàm non morituri. *Thecel; appenſus es in staterà, & inventus es minùs habens*. Quicumque convertitur ad ſepulchra, videt quantùm ſibi deſit, & quantùm erraverit, dùm cogitabat, nihil ſibi deeſſe; Nihil poſſidet, qui ſolùm poſſidet non duratura. Rectè judicatur in cinere, quàm mendaces ſint filii hominis in ſtateris, ut decipiant in vanitate. Quæcumque nos inclinant ad terram, nos inclinant ad mortem, ad ſepulchrum, & tamèn apud cæcos, miſeroſque mortales pondus habere exiſtimantur. In ſtaterà divinæ Juſtitiæ pondus habent, quæ ducunt ad Deum, quæ non occidunt, aut ſeneſcunt, & quæ vitam hominibus pariunt ſempèr duraturam: *Phares: diviſum eſt Regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis*. Fovebat Balthaſſar in Regno cordis diſſidia voluptatum, tumultus affectuum terrenorum. Cor, quod erat Deo donandum, crudeli tyrannide vitia occupabant. Regnum temporale dividebat ſupremus Dominus, & in pœnam delicti illi jàm parabat ſucceſſorem; qui non metuebat ultorem, qui Deum contemnebat, mori debebat ut homo, & ſicùt unus de principibus cadere. Hoc multò anteà diſcere pote-

Digitized by Google

poterat, ſi ſeriâ quàdam meditatione Potentum cineres reſpexiſſet, qui immemores conditionis ſuæ in oſtendendo Regni dominio, in augendis opibus ſolliciti relinquunt alienis divitias ſuas.

IV. Quid divina Juſtitia ſcriberet, cognovit patiens Job, cùm dixit Cap. 13. *Scribis enim contrà me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ.* Et hoc cognovit, quià omnium rerum caducarum curam abiecerat, jàm in cinere ſepulchrorum didicerat omnia præterire; experientià comprobaverat, quàm utile ſit contendentibus ad immortalitatem intèr mortuorum cineres commorari. Et hinc Cap. 17. verſu 14. Sepulchrorum putredinem, ac vermes Patris, Matris, ac Sororis loco ſubſtituerat. *Putredini dixi, Pater meus es, Mater mea, & Soror mea vermibus.* Cap. verò 21. poſtquàm deploraſſet miſerrimum ſtatum peccatoris aberrantis à Deo, concludit verſu 31., & 32. *Quis arguet coràm eo viam ejus, & quæ fecit quis reddet illi? Ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.*

V. Vigilabit utiquè, & à ſomno excitabitur, qui in ſepulchris commune, atquè inevitabile periculum meditatur, & morte admonente declinabit ſagittas divini furoris. Habacuc Cap. 3. cùm prædicitur admirabilis Chriſti triumphus, & apparatus, quo ille hoſtes ſuos debellaturus adveniet, intèr cætera narratur, quod *ante faciem ejus ibit mors*, ità in noſtra vulgatà: at Septuaginta legunt,

Digitized by Google

gunt, *ibit verbum*. In quo ſi literam attendamus, diverſitas lectionis orta eſt à verbo דָּבַר Dabar, quod loqui ſignificat, & à nominibus, quæ ex eo formantur, nempè דֶּבֶר Deber, quod ſignificat mortem, ſivè peſtem, & דִּבֵּר Diber, quod ſignificat verbum. Nèc incongruè, ſi allegoricè loquamur, mors appellatur verbum, cùm plerumquè aliorum mors nos admoneat, & ſit quædam vox nos docens, ut emendemus vitam. Ad promptam converſionem admonet regius Pſaltes peccatores Pſalmo 7. dicens: *niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibravit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vaſa mortis.* Sed, qui tendit arcum, ut jaciat ſagittas ſui juſtiſſimi furoris, qui ſtringit gladium ut feriat, ut occidat, mittit antè faciem ſuam mortem, & mortem loquentem, ut terribili ejus aſpectu concuſſi redeamus ad cor noſtrum, à quo diſceſſeramus, & dat metuentibus ſe ſignificationem, ut fugiant à facie arcus. Ille, cujus vias mors præcedit tàm ordinato greſſu, ut oculis ſempèr ſpectari poſſit, nullum timebit hoſtem, nec à morte ipſâ vincetur.

VI. Legimus in Sacrà Geneſi Cap. 50. verſu 23. & 24. quod Joſeph moriens rogavit fratres, ut ejus oſſa deferrent ſecum: *locutus eſt fratribus ſuis, poſt mortem meam Deus viſitabit vos, & aſcendere vos faciet de terrà iſtà ad terram, quam juravit Abraham, Iſaac, & Jacob. Cùmque adjuraſſet eos, atquè dixiſſet,*

Deus

Digitized by Google

Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto, mortuus eſt. Cùm autèm de Ægypto egreſſus fuiſſet populus Iſrael, ut exprimitur Exodi Cap. 13. verſu 19. *Tulit quoquè Moyſes oſſa Joſeph ſecum, eò quod adiuraſſet filios Iſrael dicens: viſitabit vos Deus, afferte oſſa mea hinc vobiſcum*. Nec ſinè causâ tantâ ſollicitudine oſſa Patriarchæ fratribus commendantur, & efferuntur à Moyſe; illorum enìm aſpectus poterat Iſraeliticum populum frequentèr excitare ad æmulationem virtutis. Supponamus ità Moyſen adlocutum fuiſſe ad populum ſibi ſubiectum. Iſta ſunt oſſa magni illius Patriarchæ, qui rebelles affectus perdomuit, qui iniurias, & odia beneficiis compenſàvit, ſed mortuus eſt Joſeph. Hæc ſunt oſſa illius Joſeph, qui venditus a ſuis, exul à Patriâ ità efferatos homines in ſui obſequium traxit, ut, & illum ſomniantem venerarentur, loquentem timerent, conſulentem proclamarent, ſed proh dolor! Joſeph mortuus eſt. Hæc ſunt oſſa illius integerrimi Viri, qui vitiis perpetuum bellum indixit, quem nec fœmineæ blanditiæ, nec ſquàllidi carceris horrores a caſtitate removerunt, nec ampliſſima Regum beneficia ab Innocentiæ culturâ diſtraxerunt, ſed tamèn Joſeph mortuus eſt. Videte, quam communis ſit omnibus mors, quàm diſpar morientium gloria; qui tàm glorioſam mortem concupiſcitis, imitamini vitam. Pugnat Deus pro nobis contrà Ægyptios, credite, pugnabunt pro

vobis

vobis iſta oſſa contrà vitia. Videte.

VII. Magna, & deteſtabilis eſt eorum cæcitas, qui ad ſepulchra non convertuntur, cum videant mori etiàm ſapientes. Hinc peccatoris dementiam arguit Regius Pſaltes Pſalmo 48., & prædicit, quod obcæcatus ſplendore divitiarum, & amore voluptatum *non videbit interitum*, *cum viderit ſapientes morientes*: legunt Septuaginta *non videbit foveam*. Sunt ſepulchra afflictorum ſolatium, & malè viventium frænum. Et hinc idem Propheta Pſalmo 93. verſu 12., & 13. dicebat: *beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tuà docueris eum, ut mitiges ei à diebus malis, donèc fodiatur peccatori fovea.* Sciebat enim, quod dùm fovea aperitur peccatoribus, deſiſtunt perſequi amatores Juſtitiæ. Voluit Deus morte nos erudire, & benè vivendi ſcholam aperuit in ſepulchris, & dum voluit, ut mors eſſet ſtipendium peccati, voluit etiàm, ut ejus aſſiduà recordatione adverſùs hoſtes animæ confligaremur. Cùm mors ingreſſa eſt per feneſtras, cecidere primi Parentes, & ut caderent, noſque omnes cum illis caderemus, ſatis fuit vidiſſe. Vidit mulier lignum &c. Divinæ Providentiæ conſilio factum eſt, ut illa eadem mors, quæ per oculos homines occiderat, atque à beatà felicitate dejecerat, iterùm per oculos ingrederetur, & eſſet potens remedium ad benè vivendum, & adverſùs inſidias deſertoris Angeli, qui, ut innocentes peccatores efficeret, mor-

mortem docuit non eſſe timendam. Non lugeamus mortuos, lugeamus potiùs eos, qui mortuos non vident, qui ſe in foſsà humo non abſcondunt, ut conſulant timori juſtiſſimè concepto. Non poſſunt oculi lacrymis ſuis vitam cadaveribus concedere, poſſunt tamèn cadavera miniſterio oculorum vitam nobis elargiri.

verſ. XVI.

Et ſupèr omnes naves Tharſis.

LECTIO XXI.

I. *Nomen Tharſis variè adhibitum in Sacris litteris. II. Cùr tanta hujus vocis diverſitas. Ex Japhetho Neptuni fabula à Gentilibus deſumpta. III. Cilices quàm potentes olìm fuerint. Cùr Tharſis pro Chartagine ſoleat uſurpari. IV. Idem nomen Tharſis loco potentis, celebriſque regionis ſubſtituitur. V. Aſſeruntur Sacræ Scripturæ teſtimonia, in quibus hoc nomen remotas regiones ſignificat, quas Indiam eſſe, non leves conjecturæ ſuadent. VI. Quæritur, àn illa remota loca, in quæ legimus, claſſem Salomonis navigaſſe, fuerint ſubjecta dominio Reginæ Sabæ. Opinio Regum Æthiopiæ de origine ſuà: & quale fuerit Reginæ Sabæ nomen proprium. VII. Attentis circumſtantiis navigationis claſſis Salomonis non videtur improbabile, eam potuiſſe mitti in aliquam urbem Æthiopiæ.*

I. Quàm variè vox iſta Tharſis in Sacris litteris ponatur, & quantas apùd Interpretes habeat ſignificationes, longum eſſet hìc recenſere. Indi-

Indicare ſufficiet, quod aliquandò pto mari, aliquandò pro Ciliciâ, aliquandò pro Chartagine; aliquandò pro Indiâ, ſeù remotâ aliquâ regione uſurpatur. Celeberrima ſunt loca Iſaiæ 23. verſu 1. in noſtrà vulgatâ legitur: *ululate naves maris*: at hebraicus textus ponit *naves Tharſis*: Septuaginta verò *naves Chartaginis*. Ezechielis 27. verſu 12. *Chartaginenſes negotiatores tui à multitudine cunctarum divitiarum argento, ferro, ſtanno, plumboque repleverunt nundinas tuas*; Hebraicus textus ponit; *Tharſis negotiator tuus*: Septuaginta autèm cum vulgatâ nomen Chartaginis retinent. Pſalmo 21. verſu 10. *Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent*: Hebraicus textus habet *Reges maris*. Pro urbe Principe Ciliciæ ſumitur juxta aliquos interpretres. Jonæ Cap. 1. verſu 3. Et pro Indiâ, ſivè aliquâ remotâ regione lib. 3. Regum Cap. 10. verſu 22. Et 11. Paralip. Cap. 9. verſu 21.

II. Ut autèm explicemus, quo ex fonte tanta hujus vocis varietas profluxerit, paulò altiùs illam eſſe repetendam, exiſtimamus. Et quidèm conſiderandum eſt, quod filii Noe univerſum intèr ſeſe orbem diviſerunt. Nam Semi progenies Septentrionalem, & Orientalem Aſiam obtinuit; Chami autèm ſtirpi Aſia Meridionalis cum Africâ data eſt; Japhethi verò Soboli intèr cætera, inſulæ Maris Mediterranei obtigere. Et hinc fortaſsè deducta eſt priſca Neptuni fabula, ut notat Voſſius de origi-

ne, àc progreſſu Idololatriæ Tom. 1. lib. 1. Cap. 15. Obſervandum eſt etiàm ex Geneſis Cap. 10. quod Javan filius Japhethi genuit quatuor filios: *Filii autèm Javan Eliſa, & Tharſis, Cethim, & Dodanim*: & legimus poſteà: *ab his diviſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis unuſquiſque ſecundùm linguam ſuam, & familias ſuas in regionibus ſuis*. Quemadmodùm igitùr à Dodanim, ſivè Rodanim [ſunt enim in Hebraica linguà litteræ quodammodò affines 7 res, & 7 Daleth] Rhodii orti ſunt, à Cethim Cyprii, à Javan Jones, undè Jonium mare, ab Eliſà Eoles: ità à Tharſis Cilices, undè & urbs totius Ciliciæ Princeps Tharſis nuncupatur, retento antiquo nomine illius, à quo Cilices originem ducunt.

III. Quanta olim fuerit Cilicum potentia, & quàm latè ipſi olim dominarentur, narrat Solinus Polyhiſtor Cap. 38. inquit enim: *Cilicia anteà uſquè Peluſium Ægypti pertinebat, Lydis, Medis, Armeniis, Pamphilià, Cappadocià ſub imperio Cilicum conſtitutis. Mox ob Aſſyriis ſubacta in breviorem modum ſcripta eſt. Plurima jacet campo ſinu lato, recipiens mare Iſſicum, à tergo montium Tauri, & Amani jugis clauſa.* Et paulò poſt. *Matrem urbium habet Tharſon.* Quamvìs, autèm Salmaſius hoc Solini caput exponens, non tam amplum fuiſſe credat Ciliciæ dominium, affirmat nihilominùs ex Strabone, quod Cilices imperium maris diù tenuerint, & piraticam potentèr exercuerint: quod quidèm ad rem noſtram oppor-

opportunum eſt. Cùm enim Tharſis filius Javan, & ejus poſteri mare Cilicum, & ejus loca maritima ſint permenſi, finitimas inſulas Coloniis repleverint, & piraticam exercentes alia etiam maria proxima navigaverint, & ſui dominii fines protenderint; hìnc factum eſt, ut ad exprimenda maria, inſulas, locaque minùs nota; & remota nomen Tharſis Hebræi adhibuerint, eo prorſùs modo quo Latini nomen Ponti, quod eſt proprium Pontici maris, ad quodcumque mare minùs notum ſignificandùm uſurpavere, & Indiam appellamus non eam tantùm regionem, quam Indus fluvius abluit, ſed & loca, quæ longiſſimo intervallo a nobis ſunt diviſa. Hìnc paritèr colligitur, cùr aliquandò a Septuagintà Tharſis, & Chartago promiſcuè deſumantur. Cùm enim nomen Tharſis ad exprimenda potentia loca mari expoſita plerumquè inducatur, nil mirum, ſi & Chartago pro Tharſis, & Tharſis pro Chartagine adhibeatur: erat enim Chartago intèr urbes maritimas celebris. Et hìnc Virgilius I. Æneid.

Urbs antiqua fuit Tyrii tenuere Coloni
Chartago Italiam contrà, Tiberinaque longè
Oſtia, dives opum, ſtudiiſque aſperrima belli,
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Poſthabità coluiſſe ſamo &c....

IV. Quod verò nomen Tharſis loco potentis, celebriſque regionis à Prophetà noſtro Iſaià in hoc

hoc Cap. ſubſtituatur, deſumaturque id, quod eſt notius ad indicandum ignotius, patet ex ejuſdem Capitis contextu. Ibi enìm oſtendit Propheta, nihil profuturas divitias, fortitudinem, gloriam, potentiam, ut a furore divino ſe homines ſubtrahant, eximantque a flagellis ultricis Juſtitiæ, & ſtatìm ait: *quià dies Domini exercituum ſupèr omnem ſuperbum, & excelſum, & ſupèr omnem arrogantem, & humiliabitur, & ſupèr omnes cedros Libani ſublimes, & erectas, & ſupèr omnes quercus Baſan, & ſupèr omnes Montes excelſos, & ſupèr omnes colles elevatos, & ſupèr omnem turrim excelſam, & ſupèr omnem murum munitum, & ſupèr omnes naves Tharſis.* Quibus verbis patet, quod quemadmodùm ad exprimendam Regum celſitudinem, quæ erat humilianda, ſumpſit ſimilitudinem à turribus excelſis, à collibus elevatis, à cedris Libani (Cedri enim Libani intèr cætera, figura erant rerum excelſarum, ut legimus Pſalmo 36. *vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſupèr cedros Libani*, & Eccleſiaſtici 24. *quaſi cedrus exaltata ſum in Libano.*) Ità ut denotaret etiàm inſulas maris, quæ potentià, opibus, ac nominis celebritate pollebant, eſſe à divino furore vaſtandas, vocem Tharſis notiſſimam ſuis temporibus deſumpſit.

V. Hæc eadem vox, quamvis in Cap. 2. Judith deſumatur ad denotandam urbem Ciliciæ Principem, & cætera loca ei ſubiecta, tamen in lib. 3. Regum Cap. 9. uſurpatur ad remotam quamdam regio-

regionem ſignificandam; legimus enìm verſu 22. ejuſdem Capitis: *quià claſſis Regis per mare cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, deferens indè aurum, & argentum, & dentes Elephantorum, & Simias, & pavos*. In hoc verſu explicando diutiùs hærent Interpretes, & in varias abeunt ſententias. Nos ut brevitati conſulamus, libentèr abſtinemus à ſingulis recenſendis, quæ videri poſſunt apud Forerium in Cap. 2. Iſaiæ, Maluendam lib. 3. de Antichriſto Cap. 20. Pererium in Geneſis Cap. 10. Pinedam lib. 4. de rebus Salomonicis Cap. 16. Vatablum 3. Regum Cap. 10. Poſſevinum in apparatu Sacro lib. 2. Cap. 5. Riberam in Jonæ Cap. 1. & 2. Tirinum lib. 2. Paralip. Cap. 9. Exiſtimamus autèm, regionem nomine Tharſis expreſſam fuiſſe Indiam, non quidèm Pervanam, aùt Americanam, quæ nondùm erat navigantibus detecta, & explorata, ſed cum Tirino, & aliis doctiſſimis viris Auream Cherſoneſum ambitu ſuo complectentem Regnum Peguanum, Malacam, & Sumatiam. Quod quidèm non leves coniecturæ ſuadent. Probabile eſt enìm claſſem Salomonis in eam regionem navigaſſe, in quà erat aurum, argentum, Simiæ, ligna pretioſa, Elephantes &c. & notæ ſemper fuere divitiæ Indorum, & navigationes ex Arabico ſinu in Indiam. Videatur Strabo lib. 15. Plinius lib. 6. Cap. 23. & præcipuè Flavius Vopiſcus, qui de Firmo Tyranno ait: *cum Saracenis naves quoquè ad In-*

Indos negotiatorias ſæpè miſit. Aurum etiàm, & argentum in Indià reperiri teſtis eſt Plinius lib. 6. Cap. 19., & 20., Solinus Cap. 51. Pomponius Mela lib. 3. Cap. 7. Curtius lib. 8. Gemmas quoquè teſtatur idem Plinius lib. 33. Cap. 1. & lib. 37. Cap. 13. Pavones Curtius lib. 8. Plinius lib. 7. Cap. 21. qui quoquè aſſerit, ligna pretioſa ibidèm reperiri lib. 12. Cap 4. 5., & 6. Elephantos Diodorus Siculus lib. 2. Biblioth. Simias, & aromata in eà paritèr regione in magnà copià eſſe, ſcribit Iſidorus in Compendio lib. 14. Cap. 3. Legatur Martinus Lippienius in ſuo libro de navigatione Ophiriticà Salomonis in Diſſertationibus Ophir, & Tharſis.

VI. Ego autèm hìc dubium aliquod meum viris eruditis aperiam. Conſideratà enim illà navigatione, & rebus ejus miniſterio delatis, anceps diù fui, an illa regio potuerit eſſe una earum, quæ dominio Reginæ Sabæ erant ſubiectæ. *Nàm illa audità famà Salomonis venit, ut tentaret eum in enigmatibus* 3. Regum Cap. 10. 2. Paralippom. Cap. 9. Ergò erant jàm, qui ex Jeruſalem ad illius regiam itèr ſuſciperent, vel ſaltèm ad vicinas regiones. Illa itèm attulit magnas opes, aurum videlicèt, aromata, & gemmas, quæ omnia in locis ſibi ſubiectis reperiri certiſſimum eſt. Cùr ergò non potuit claſſis Salomonis in illa loca navigare, quæ tantis divitiis affluebant, præcipuè cùm commodiora, & viciniora eſſent navigantibus? Ego enim exiſtimo cùm

cùm Menochio in ſuis eruditis Strogmatibus Cap. 19. Tomo 1. illam Reginam fuiſſe Æthiopiæ dominam, & fuiſſe Candacem, quod quidèm erat nomen proprium omnibus illius Regni Reginis impoſitum: Inquit enìm Plinius lib. 6. Cap. 9. *in Meyoe regnare fœminam Candacem, quod nomen multis jàm annis ad Reginas tranſit.* Inſupèr tituli Regum Æthiopiæ, quos affert Abrahamus Hortelius in ſuo theatro mundi tabulà 68. indicant, Sabam, quam Candacem libet appellare, Æthiopiæ olìm fuiſſe dominatam; putant enìm Æthiopiæ, ſivè Abiſſinorum Reges, ſe ex Salomone, & Sabà eſſe progenitos; eſt ſiquidèm, eorum ſubſcriptio.

David ſupremus meorum regnorum à Deo unicè dilectus,
Columna fidei ortus ex ſtirpe Judà,
Filius David, filius Salomonis, filius Columnæ Sionis,
Filius ex ſemine Jacob, Filius magnus Mariæ,
Filius Nabu ſecundùm carnem,
Filius Sanctorum Petri, & Pauli ſecundùm gratiam,
Imperator Superioris, & Majoris Æthiopiæ,
Et ampliſſimarum juriſdictionum, & terrarum &c.

VII. Attentis inſupèr circumſtantiis illius navigationis non videtur improbabile, claſſem potuiſſe mitti ad aliquam Æthiopiæ urbem. Nàm ut legimus 2. Paralipp. Cap. 8. verſu 17. *Salomon ſolvebat naves ex Aſiongaber ad oram maris rubri*, qui quidèm portus nùnc à Geographis dicitur *Sues*, & non longè ab ipſo eſt portus Pharaonis. Cùm au-

tèm mare rubrum debuiſſent permeare, quod quidèm non eſt ità profundum, ut oneroſas, amplaſque naves ſubſtinere poſſit, illas potiſſimùm puto adhibuiſſe, quæ non minùs eſſent tranſuehendis mercibus aptæ, quàm ut ab aquis ſubſtinerentur. Magno autèm ſe periculo expoſuiſſent, ſi ultrà illud mare, ad amplos, profundiſſimoſque ſinus proveherentur. Ergò illæ priùs quærendæ erant regiones, quæ erant ipſi mari rubro viciniores. In tabulis autèm geographicis loca Suachen, & Delacca, quæ erant olim ſubiecta ditioni Regis Abiſſinorum, navigantibus mare rubrum portum exhibent, atquè in iis gemmæ, aurum, Elephantes, aromotaque reperiuntur. Ergò non videtur improbabile, Salomonis claſſem ad illam etiàm regionem fuiſſe expeditam. Hæc obitèr dicta ſint, & abſquè præjudicio, quæ ex firmiori, probabiliorique ſententià retulimus.

IN

CAPUT TERTIUM

I S A I Æ

verſ. I. *Eccè enìm Dominator Dominus exercituum auferet à Jeruſalem, & à Judà validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ.*
verſ. II. *Fortem, & virum bellatorem, Judicem, & Prophetam, & Ariolum, & Senem, Princi-*
verſ. III. *pem ſupèr quinquaginta, & honorabilem vultu, & Conſiliarium, & Sapientem de Archi-*
verſ. IV. *tectis, & Prudentem eloquii myſtici. Et dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.*

LECTIO XXII.

I. *SEnſus litteralis verborum brevitèr explicatur. II. Eſt uſitata Sacræ Scripturæ phraſis, ut pèr robur panis, & aquæ omnia intelligantur hominum uſibus neceſſaria. III. Judæi non tàm fame naturali, quàm ſpirituali fuere à Deo puniti; nempè fame ſapientiæ, & Verbi Dei. IV. Ab Animà, quæ tropologicè Jeruſalem dici*

 poteſt,

Digitized by Google

poteſt, tùnc aufertur robur panis, quandò indignè accedit ad Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini. V. Pueri non ſunt reputandi illi tantùm, qui ætate carent, ſed illi etiàm, quibus deeſt prudentia. VI. Qui veram Juſtitiam deſerit, immeritò vir appellatur, quemadmodùm Pueri innocentes meritò viri dicuntur à ſacris Litteris. VII. Viri effœminati non tàm, qui fœminas amant impuro amore, quàm qui eorum ornatum imitantur.

I. ILle Deus, ſub cujus omnipotentis dexteræ præſidio ductus fuerat Populus Hebræus in terram fluentem lac, & mel, qui ad ſpirituale, & temporale regimen Iſraeliticæ gentis admirabili providentià conceſſerat leges, Sacerdotes, ſacrificia, Prophetas, Reges, Duces, Magiſtratus, jàm per os Prophetæ ſui minitatur ſe ablaturum omnia, quibus Juda, & Jeruſalem affluebant, & redigendum eſſe in miſerias deplorabiles populum, qui obcæcatus temporali felicitate beneficia divina contemnebat, vivens ſinè lege, cùm legem haberet antè oculos, ſinè timore peccans, cùm tamèn palàm non ceſſarent Prophetæ patrata contrà Deum, & contrà Juſtitiam ſcelera reprehendere, Idololatriam exercens, cum linguà tantorum prodigiorum ſe verum eſſe Deum, Deus ipſe teſtaretur. Juſtum eſt peccantis ſupplicium, ut illi omnia ſubtrahantur, quibus contrà Deum abutebatur. Per robur panis, &

Digitized by Google

& aquæ hìc veluti in compendio indicat Propheta, omnibus rebus neceſſariis gentem eſſe privandam, omnem commeatum, omne alimentum, & refrigerium Judæis ſubtrahendum, deindè ad particularia ordinato gradu deſcendit: prænunciat enim fruſtrà quærendos in miſerrimà illà Republicà Judices, qui peritià ſuà controverſias dirimant, reddantque unicuique ſuum; Non ampliùs extituros Prophetas, qui futurorum ſpeculatores populum admoneant, quomodò ſe à flagello ultricis dexteræ poſſit eximere, Deumque iratum placare. Neque tantùm ipſos Prophetas, ſed Magos etiàm, & Ariolos fruſtrà quærendos, in hoc vaticinio prædicitur; videlicèt in illo infeliciſſimo Judaicæ gentis, totiuſque urbis exterminio nullum Magum, & Ariolum reperiendum, qui aùt naturali ſcientià aſtrorum motus, & influxus, cauſarumque vim effectricem poſſit indagare, ſed etiàm fruſtrà vana oracula conſulat, ad Dœmonis artes recurrat: Cùm autèm ait Propheta noſter, quod Dominus auferet Principem ſupèr quinquaginta, intelligit deſtituendos eſſe Judæos omni belli præſidio, omnique militari peritià, & electam illam gentem, quæ Deo protegente, conſpirantibuſque elementis fortiſſimos quoſque hoſtes ſuperabat, in ſuorum ſcelerum ſupplicium omnium nationum ſervam, atquè opprobrium evaſuram. Cùm verò ait honorabilem vultu, viros ſignificat in illo ſtatu miſerrimo deſiderandos, qui exteriori

riori vultus maieſtate pietatem, ac prudentiam oſtentent, animorum motus cohibeant, noxium timorem avertant, atquè effrænatos vulgi tumultus compeſcant. Nàm Virgilii 1. Æneid.

. . . . . Magnò in populo cum ſæpè coborta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus,
Jamquè faces, & ſaxa volant, furor arma miniſtrat,
Tùm pietate gravem, ac meritis ſi fortè virum, quem
Conſpexerè, ſilent, arreptiſque auribus adſtant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

II. Eſt autèm, ut ad priora revertamus, uſitatiſſima Sacræ Scripturæ phraſis, ut nomine panis, & aquæ ea intelligantur, quæ ad neceſſarios uſus hominum deſtinata ſunt. Nàm 1. Regum Cap. 14. quamvis Jonatas guſtaſſet tantummodò favum mellis, nihilominùs à Saule judicatus eſt tranſgreſſor regii, paternique præcepti, quo pronunciaverat, *maledictus qui comederit panem uſquè ad veſperam:* ſic 4. Regum Cap. 6. cum Eliſeus milites Siriæ cæcitate percuſſos à Deo in Samariam introduxiſſet, Regi Iſrael eos occidere volenti ſic reſpondit Propheta: *Non percuties, nequè enim cœpiſti eos gladio, & arcu tuo, ut percutias, ſed pone panem, & aquam coràm eis, ut comedant, & bibant, & vadant ad Dominum ſuum: appoſitaque eſt eis ciborum magna præparatio, & comederunt, & biberunt.* Lucæ paritèr Cap. 14. ſcriptum eſt. Cùm introiſſet *Jeſus in Domum cujuſdam Principis ſabbatho manducare panem*. Quibus in locis uni-

unicuique obvium eſt, nomine panis, & aquæ, cætera etiàm, quæ ad victum, refrigeriumque ſpectant, eſſe intelligenda. Cibo, potuque indigentem Jeruſalem non Iſaias tantùm, ſed & Jeremias quoquè prævidit, & hinc in Trhenis: *omnis populus gemens, & quærens panem, dederunt pretioſa quæque pro cibo ad refocillandam animam*; ſivè: *adhæſit lingua lactentis ad palatum ejus in ſiti, parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*: ſivè: *Matribus ſuis dixerunt, ubi eſt triticum, & vinum, cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis Civitatis, cùm exalarent animas ſuas in ſinu Matrum ſuarum.*

III. Fame naturali, quæ per panem, & aquam intelligitur, punitos fuiſſe Judæos, adducta teſtimonia declarant. Videamus jàm, ad quas miſerias ſpirituales illi ſint redacti, & verba Prophetæ ad moralem ſenſum reducamus, præcipuè cùm juxtà expoſitionem Cyrilli nomine panis, & aquæ ſapientia intelligatur, & juxtà alios Verbum Dei, quo paſcimur, & nutrimur. Hinc Eccleſiaſtici Cap. 15. *Qui timet Deum, faciet bona, & qui continens eſt Juſtitiæ, apprehendet illam, & obviabit illi quaſi Mater honorificata, & quaſi mulier à virginitate ſuſcipiet illum; cibabit illum pane vitæ, & intellectus & aquâ ſapientiæ ſalutaris potabit illum.* Joannis etiàm Cap. 4. inquit Chriſtus, *qui biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Deſcendit de Cœlo panis vivus, ut exurientes repleret, ſed hunc ingrati

ingrati Judæi contempſere. Annunciaverat Deus verbum ſuum Jacob, & judicia ſua Iſrael, nèc fecerat talitèr omni nationi, ſed quoniàm illi natum Meſſiam in *Domo panis* repulerunt, & non receperunt in propria venientem, jàm in pœnà delicti exules errant hoc pane deſtituti. Jàm adimpletum eſt, quod legimus 1. Regum Cap. 2. verſu 5. *repleti priùs pro panibus ſe locaverunt, & famelici ſaturati ſunt, donèc ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata eſt*. Saturati ſunt famelici, illi videlicèt ex Gentilibus, apùd quos non erant tàm familiares Sacræ Scripturæ, nèc ipſa Sanctorum Patrum, Prophetarumque præſentia in divinis præceptis erudiebat. Synagoga, quæ multos habebat filios, infirmata eſt, ſterilis autèm Gentilium natio renata in fontibus Salvatoris, fœcundata Spiritus Sancti donis plurimos peperit, nempè Martyres, Confeſſores, Doctores, & caſtiſſimas Virgines. Infirmata eſt Synagoga, quià noluit audire Deum loquentem, & quià rejecit, impieque occidit illum, qui venerat ſanare Mundum infirmum. Percuſſa eſt deplorabili mentis cæcitate, & dùm nobis illuxit feliciſſimus dies gratiæ, Judæi teterrimà ſuorum errorum caligine circumfunduntur: habent antè oculos Prophetarum vaticinia de Christo, & adhùc venturum expectant: hæc eſt illa cæcitas pœnalis, & illa maledictio, quam minitatus eſt Deus Deuteron. Cap. 28. verſu 28. *Percutiat te Dominus amentià*,

Digitized by Google

tiâ, & cæcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie, ſicùt palpare ſolet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. Iſaiæ Cap. 6. verſu 10. *excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum.* Matthæi 13. *Aure audietis, & non intelligetis.* Hæc eſt illa deplorabilis fames, quæ prædicitur 2. Paralipp. Cap. 15. verſu 3. *Tranſibunt autèm multi dies in Iſrael abſquè Deo vero, & abſquè Sacerdote, Doctore, & abſquè lege.* Oſee 2. verſu 3. *Dies multos ſedebunt filii Iſrael ſinè Rege, & ſinè Principe, & ſinè Sacrificio, & ſinè Altari, & ſinè Ephod, & ſinè Theraphim.* Amos 8. verſu 11. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram; non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi Verbum Domini, & commovebuntur à mare uſquè ad mare, & ab aquilone uſquè ad Orientem circuibunt quærentes Verbum Domini, & non invenient.*

IV. Quod ſi pèr Jeruſalem animam tropologicè ſignificemus, tùnc ab eà aufertur robur panis, quandò indignè accedit ad Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini, tùnc enìm non roboratur tanti Sacramenti virtute, ſed potiùs, ut inquit Apoſtolus 1. ad Corith. Cap. 11. *Judicium ſibi manducat, & bibit*: undè Chryſoſtomus homilià 60. ad populum Antiochenum; *cogita*, inquit, *quantùm adversùs proditorem indignaris, & contrà eos, qui illum crucifixerunt. Itaquè conſidera, ne tu quoquè ſis reus Corpo-*

ris, & Sanguinis Chriſti. Illi Sanctiſſimum Corpus occiderunt, tu verò polutà ſuſcipis animà poſt tot beneficia. Divus Auguſtinus tractatu 26. in Joannem versùs finem, *hoc eſt ergò*, ait, *manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere, ac per hoc, qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procùl dubio non manducat ſpiritualitèr carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, quamvis carnalitèr, & viſibilitèr premat dentibus Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti, ſed magìs tantæ rei Sacramentum, ad judicium ſibi manducat, & bibit, quià immundus præſumit ad Chriſti accedere Sacramenta.* Divus Cyprianus Sermone 7. de cœna Domini inquit: *Sacramenta quidèm, quantùm in ſe eſt, ſinè proprià eſſe virtute non poſſunt, nec ullo modo divina ſe abſentat majeſtas myſteriis, ſed quamvis ab indignis ſe ſumi, vel contingi Sacramenta permittant, non poſſunt tamèn ſpiritus eſſe participes, quorum infidelitas, vel indignitas tantæ ſanctitudini contradicit, ideòque aliis ſunt hæc munera odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.*

V. Alterum nèc minùs grave populi ſupplicium, quod à Propheta noſtro Regno Judæ, & Jeruſalem infligendum prænunciatur, clarè, & expreſsè oſtenditur verſu 4., cùm dicitur, *& dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis*: per pueros enìm hìc intelliguntur non tàm illi, qui requiſità ad debitam rerum agendarum experientiam ætate ſunt deſtituti, ſed illi etiàm, qui etiàmſi mul-

Digitized by Google

tùm vixiſſent, velutì pueri erant exiſtimandi, cùm vanis, inutilibuſque rebus operam darent ejectis ſeniorum conſiliis, poſthabitis regulis prudentiæ. Vera hominum ætas non computatur annis, ſed moribus; *vita*, ut inquit Seneca de brevitate vitæ, *ſi ſcias uti, longa eſt*. Non ille diù vixiſſe judicandus eſt, qui veneri, ventri, otioque deditus pretioſiſſimi temporis jacturam fecit, ſed qui omnia vitæ ſuæ momenta gloriæ, atque immortalitati conſecravit: etiàm lapides, quos natura ſenſu deſtituit, etiàm montes æterni dicuntur, aliud tamèn eſt vivere, aliud eſt eſſe. Diù fuere, qui nihil in comparandis virtutibus, in otio debellando deſudarunt, ſed tamèn non multùm vixerunt; undè Iſaiæ Cap. 65. verſu 20. ad felicitatem, atquè benedictiones credentium refertur, quod *puer centum annorum morietur*, ideſt, quod quamvìs intèr benè, ſanctèque viventes quis puer moriatur, tamèn quoàd mores, & ſenſum perindè morietur, ac ſi eſſet centum annorum; exiſtimabitur enìm, & laudabitur ſola virtus, & ſcientia, non verò ætas minùs, vel magìs adulta.

VI. Philo Judæus eos, qui veram Juſtitiam deſerunt, non ſolùm pueros dicendos eſſe, exiſtimat, ſed numerandos eſſe intèr belluas, tanquàm præſtantiſſimo hominis nomine indignos; nàm in libro de legibus non ſcriptis adducens illa Geneſis verba Cap. 6. animadvertit, quod Noe appellatur

vir juſtus, & attentâ Sacræ Scripturæ admirabili expreſſione sìc ratiocinatur. *Noe vir juſtus, atquè perfectus fuit in generationibus ſuis, hominem non vulgari loquendi formâ, ſed per excellentiam vocat eum, qui verè ſuo reſpondet nomini ejectis ex animo immanſuetis, rabidis, feriniſque vitiorum affectibus. Argumento eſt, quod poſt hominem addit juſtus, quià nemo injuſtus eſt homo, ſed potiùs beſtia humanâ formâ prædita, in ſolum autèm juſtitiæ ſectatorem nomen hoc competit.* Præclara eſt etiam illa Divi Ambroſii ſententia, qui exponens Cap. 1. Lucæ, ubi de Joanne Baptiſtâ prædicitur, quod erit magnus coràm Domino: *eſt*, inquit, *coràm Domino magnitudo animæ, magnitudo virtutis, eſt parvitas animæ, & pueritia virtutis; juxtà enim animæ, & corporis numerantur ætates, non pro ratione temporis, ſed pro qualitate virtutis, ut vir perfectus ille dicatur, qui careat errore pueritiæ, & lubricum adoleſcentiæ animæ maturitate non ſentiat.* Juvenis erat Joſeph, cùm invidiâ fraternâ venderetur, & tamèn eum Sacræ Litteræ virum appellant; Pſalmo enìm 104. legimus, *miſit antè eos virum, in ſervum venundatus eſt Joſeph*: undè Rupertus lib. 8. in Cap. 33. Geneſis concludit, *licèt juvenilem ætatem ageret, prudentiam tamèn virilem præferebat*: & Liranus hæc eadem verba ità exponit: *quià ſi non annis, ſaltèm moribus virilem maturitatem, & gravitatem oſtendebat.* Hac eadem de causâ Daniel, ejuſque ſocii, qui pueri erant, atquè ut pueri educabantur, nutriebanturque à Rege Babylonis,

lonis, non ſemèl viri nuncupantur, ut unicuique legenti Caput tertium Danielis perſpicuum fiet.

VII. Per homines effœminatos hìc intelligere debemus non tantùm eos, qui impudico mulierum amore exardeſcunt, ſed eos etiàm, qui fœminarum vanitatem, & ornatum imitantur, qui quidèm abuſus, quàm abominabilis ſit apùd Deum, ex Numerorum Cap. 22. deducere poſſumus; nàm ibi præcipitur: *non induetur mulier veſte virili, nèc vir veſte fœmineâ, abominabilis enìm apùd Deum eſt, qui facit hæc*. Quæ divina verba non tam de veſtibus, quàm de moribus eſſe explicanda, ſcripſit Divus Ambroſius epiſtolà ad Irenæum, quæ eſt 69 tomo 2. edit. Patrum Benedict. S. Mauri: *arbitror autèm* (ſunt verba Sancti Doctoris) *quod non tàm de veſte, quàm de moribus dixerit*. Vellem ego ad vivum exprimere, quid ſit fœmineos mores imitari, ut quò magìs apparuerit hujus erroris deformitas, eò magìs ille fugiatur, ſed hoc præſtare nequeo, niſi in remotas quaſdam, liberaſque regiones mea me recordatio tranſtulerit. Illìc cernere eſt juvenes quoſdam delicatiſſimos, qui in corporis culturà, atque in oſtentandà pulchritudine tàm aſſiduè exercentur, ut hoc intuentibus dubium relinquant, an in ipſis efformandis luſerit, vel erraverit natura, ſexum virilem pro fœmineo, vel utrumque in uno reponens. Sumunt delicati iſti juvenes mitram ſecuriùs dormituri, & primas noctis vigilias contumax labor auſpica-

ſpicatur: flexos crines acu diſcriminant, papyro obvoluunt, deindè pendentibus ex mitrà vittis ſtrictiſſimè ligant, eos proximo mane ad torturam damnaturi, cùm tempus ſurgendi è leſtulo tertia hora jàm peracta deſignat. Vocatur famulus, qui ſpeculum adminiſtret, ut numerentur pili, qui elapsà nocte in pulcherrimà facie ſuccreverunt, unguibus novacula vulſellis ſubitò convellendi, & radendi. Adhibetur eburnei pectinis miniſterium, & armatus patientià fœmineà ſedet juvenis, cùm de capite agitur, & capillis; dependens à fideliſſimi famuli manibus diù expectat, ut ferro calido ſoluti crines in annulos convertantur. His peractis tibialia ſerica per modum circuli ad genua complicantur, nè per breve quidèm temporis momentum aliquid detrimenti patiatur externa religio. Poplitem cingulum textile circumdat argenteis fibulis adamantinum ſplendorem mentientibus. Vah quanto labore calceus urgetur! quanto impetu percutiuntur lateres ligneis talis modò duplà, modò triplà, modò ſeſquialterà proportione concrepantibus, ut tandèm maximà doloris uſurà ad eam formam redigantur pedes, quam nupèr tranſalpinus uſus invexit. Holoſerico, vel Damaſceno thoraci gallica palla manicata ſupèr imponitur, globulis interim vacantibus, nè byſſinæ interulæ, aut candidiſſimæ cutis proſpectus impediatur, nevè miſerrimà ſuffocatione intereant ſuſpiria, quæ ex inti-

mis

mis præcordiis emittuntur; hoc unum ſupereſt Virg. 12. Æneid.

. . . . . . fœdare in pulvere crines
Vibratos calido ferro, mirrhàque madentes

imò fœdare in pulvere veſtes: Illæ enim noſtrorum temporum conſuetudini magìs congruunt, quæ ſimilagine liberaliſſimè conſperguntur. Cerne jàm ſpectaculum venuſtatis, & meritò dices cum Martial. lib. Æpig. 72.

Bellus homo flexos, qui digerit ordine crines,
Balſama qui ſempèr, cinnama ſempèr olet.

Ego verò Poetis valere juſſis cum Ambroſio ſuprà laudato numero 6. ejuſdem ſuæ aureæ epiſtolæ sic concludo. *Quàm deforme autèm facere opera muliebria! ergò & pariant, ergò parturiant, qui criſpant comam ſicùt fœminæ. Et tamèn illæ velantur, iſti belligerantur. Verùm habeant excuſationem, qui patrios uſus ſequuntur, ſed tamèn barbaros, ut Perſæ, ut Gothi, ut Armenii; major quidèm eſt natura, quàm Patria.*

Digitized by Google

verſ. XVI.

Pro eo, quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant.

LECTIO XXIII.

I. ADducuntur variæ verſiones, quibus litteralis ſenſus exponitur. *II.* Per collum denotatur obedientia. Colli elatio jactantiam indicat. Quaſſare caput ſignum animi irati, & aliquem ſpernentis. Matthæi Cap. 27. verſu 39. & Marci 15. verſu 29. explicantur. *III.* Caput demittere, & flectere apud veteres ſignum humilitatis, & pœnitentiæ ex 3. Regum Cap. 21. & Iſaiæ Cap. 68. *IV.* Meritò damnantur laſcivi oculorum nutus. Oculorum duo officia unum flere, videre alterum; flendo divinum cor poſſidemus, inordinatè videndo cor noſtrum amittimus. *V.* Viſionem fieri per extromiſſionem radiorum, & poſſe aliquorum oculos obiecta faſcinare, veterum fuit opinio. *VI.* Cur ex varietate aſpectus ocularis tàm varia fiat affectuum concitatio, ratio naturalis aſſignatur. Indices animi oculi ex Cicerone, & antiquorum ſcholà Philoſophorum. *VII.* Summà diligentià debent oculi cuſtodiri. *VIII.* Vo-

Digitized by Google

VIII. *Voluptates per rimulas oculorum aſcendunt in animam: undè meritò omnia vitia, quæ animo imputantur, oculis quoquè attribuuntur in divinis ſcripturis, quæ oculos etiàm appellant laqueos.* IX. *Decaluare verticem erat ſervum facere. Exponitur verſus* 42. *Cap.* 32. *Deuteronomii, & verſus* 18. *Cap.* 29. *Ezechielis. Pileus libertatis ſignum; undè manumiſſis pileus concedebatur, cùm ſervi nudo capite proceſſiſſent. In ſignum obſequii capita denudamus occurrentes ſalutaturi.* X. *Pileus in Bruti numiſmate ſculptus ad ſignificandam libertatem, ad quam ille Romanum populum redegerat.* XI. *Libertas publica in numiſmate Galbæ ſtolata mulier, habens in dexterà pileum, in ſiniſtrà virgam, quæ à veteribus appellabatur vindicta, & hinc manumiſſi vindictæ. Exponitur locus ex Juven. ſatyrà* 5. *& Perſio ſatyrà V.* XII. *Si ex voluntate Domini ſervus pileum ſumeret, manumiſſus reputabatur.* XIII. *Lunulæ ex Hjeronymo numiſmata, quæ fœminæ olìm geſtabant in fronte.* XIV. *Torques, aurea catena è collo pendens, ductà ſimilitudine ab illà, quà torquebantur rei.* XV. *Armillæ non minùs ornamenta mulierum, quàm virorum. Erant aliquandò ſignum rememoratiuum. Militibus conferebantur ob bellicam virtutem.* XVI. *Murenulæ, flexuoſæ catenæ punctis aureis, argenteiſque diſtinctæ.* XVII. *Mitra interdùm pro quocumque capitis operimento uſurpatur: apud Occidentales ad fœminas magis, quàm ad viros pertinebat; Lydi tamèn, Perſæ, Phryges, Arabes abſquè reprehenſione mitras geſtabant.* XVIII. *Intèr Sacerdotalia indumenta recenſebatur. Pro Cidari Perſa-*

P p rum

rum uſurpatur aliquandò, & pro Tiarà. Utriuſque rei diſcrimen à formà requirendum. XIX. Diſcriminalia, quæ eſſent, & qualis eorum uſus. XX. Periſcelis Etimologia. XXI. Varius apùd antiquos vittarum uſus. XXII. Mutatoria, veſtes erant pretioſiores ad pompam invectæ. Theriſtrum, veſtis æſtiva, de quà multa ex ſacris litteris.

I. Filias Sion ſuperbià, atquè impudicitià divinam iram provocaſſe, & graviſſimum eis impendere ſupplicium, conſtantiſſimè aſſerit Propheta; nos iſtius verſus litteralem ſenſum explanaturi ad clariorem illius intelligentiam concordem verſionum omnium diverſitatem in proſpectu collocabimus, ſtatìm enim apparebit, quàm reprehenſibilis fuerit iſtarum mulierum geſtus. Septuaginta enìm vertunt: *pro eo quod exaltatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt collo excelſo, & in nutibus oculorum, & inceſſu pedum ſimùl trahentes tunicas, & pedibus ſimùl ludentes.* Paraphraſis Chaldaica: *Pro eo, quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & ſtibio linitis oculis ibant, & crinibus circumvolutis, & pedibus ſuis provocantes.* Arabica verſio. *Quià filiæ Sion efferunt ſeſe, & ambulant porrectis cervicibus annuentes oculis, & crepitantes pedibus veſtes ſuas ſimùl reptant, ſuiſque veſtigiis ludunt.* Syriaca: *Quandoquidèm ſuperbiverunt filiæ Sion, & erecto incedunt collo, oculorum nutibus ambulant, pedibus ſuis tripudiant, & Dominum provocant ad iram.*

II. Con-

Digitized by Google

II. Conſtat ex ipſo Sacro textu, cùr tantopere reprobetur iſte fœminarum inceſſus: elatio enim colli animi elationem, ſivè jactantiam, ſivè ſuperbiam indicat; & hinc ipſa jactantia, vel elatio appellatur à Græcis μεγαλαυχία Megalauchia à verbo μεγαλαυχεῖν Megalaucheo, quod idem eſt, ac elatos ſpiritus gero, & à nomine αὐχὴν Auchin, quod collum ſignificat. Et profectò per collum denotatur obedientia; undè illi, qui obtemperant, per collum allegoricè exprimuntur Habacuch Cap. 3. *malediſtis ſceptris ejus uſquè ad collum*. Et Canticorum 1. verſu 10. laudatur obedientia Sponſæ, & ei dicitur: *collum tuum, ſicut monilia*. Erigere autèm collum ſignum eſt ſuperbiæ, & elati animi, & contrà aliquem ſeſe efferentis: & hinc Job Cap. 15. poſtquàm verſu 20. dixerat: *cunctis diebus ſuis impius ſuperbit*, addit poſteà verſu 25., & 26. *tetendit enim adverſùs Deum manum ſuam, & contrà omnipotentem roboratus eſt; cucurrit adverſùs eum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt*. Hinc etiàm movere caput modò ad dexteram, modò ad ſiniſtram, modò ſurſùm, modò deorſùm ſignum erat animi irati, & aliquem ſpernentis, quod antiqui caput quaſſare dicebant: Virgil. 7. Æneid. de Junone turbatà

Stetit acri fixa dolore

Tum quaſſans caput, hæc effudit pectore verba:

Pſalmo itèm 21. *omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & moverunt caput*. Quibus verbis præ-

dicitur iniuria facta Chriſto in cruce pendenti, quæ narratur Matthæi 27. verſu 39. *prætereuntes blaſphemabant eum, moventes capita ſua*: & Marci 15. verſu 29. ubi dicitur; *blaſphemabant, & irridebant eum, moventes capita ſua*.

III. Quemadmodùm autèm collum, caputque erigere ſignum eſt ſuperbiæ, ità caput demittere, & collum flectere ſignum humilitatis, & pœnitentiæ. Celebris eſt locus 3. Regum Cap. 21. Cùm enim nomine Domini mortem Achabbo prædixiſſet Elias, legimus ibidèm: *Cùm audiſſet Achab ſermones illos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite*. Iſaiæ paritèr Cap. 58. cùm Deus reprobaſſet jejunia eorum, qui ſimulatà exteriùs pietate animum omni vitiorum labe fœdabant, damnat omnes illos actus externos, quibus impii homines exercebantur, nè ut impii redarguerentur, non ut boni evaderent, ſed ut boni crederentur, non ut Deum placarent, ipſumque ſibi iratum conciliarent, ſed ut hominibus placerent, & externà religione vitæ commoda adaugerent. Prophetam audiamus, & Deum per Prophetam loquentem: *nunquid tale eſt jejunium, quod elegi per diem affligere hominem animam ſuam, nunquid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum, & cinerem ſternere? & paulò poſt: non è hoc eſt magìs jejunium, quod elegi, diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes, dimitte eos,*

qui

Digitized by Google

qui confracti ſunt liberos, & omne onus diſrumpe. Quæ prophetica verba, ſi coniugamus cum iis, quorum explicationem nùnc aggredimur, colligemus profectò, duplex colli vitium reprehendi, damnarique à Deo: unum ſcilicèt mulierum collum ſuperbè elevantium, alterum hominum collum fictè contorquentium. Oremus Dominum, cui hæc vitia diſplicebant, ut illa etiàm avertat à noſtrà ætate.

IV. Sed non minùs colli elevatio, quàm oculorum nutus in mulieribus damnantur. Quemadmodùm enìm nullum eſt pretioſius ornamentum modeſtià, ità nihil turpiùs laſcivo, & vago oculo, nihil eo pernicioſius. Duo habent officia oculi noſtri; unum eſt videre, flere alterum. Benè lugendo divinum cor poſſidemus; & hinc cœleſtis Sponſus dilectæ ſuæ repetebat Cantic. Cap. 4. verſu 9. *vulneraſti cor meum Soror mea Sponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum*. Quod de uno oculorum officio poteſt etiàm intelligi; nàm, ut inquit Chryſoſt. homilià 12. ad Coloſſenſ. *nihil ità purgat peccata, ut lacbrymæ, & pulchram oſtendit faciem, eamque corpoream; eum enìm, qui vident, attrahunt ad miſericordiam*. Contrà autèm inordinatè videndo cor noſtrum amittimus; undè in threnis Cap. 3. verſu 51. legimus: *oculus meus deprædatus eſt animam meam*.

V. Viſionem fieri per extromiſſionem radiorum, & ab aliquorum oculis noxia quædam effluvia prodire, quibus obiecta inficiantur, fuit Platonico-

nicorum ſententia, ad quam alludit Virgilius in Ecloga Dametæ, & Menalcæ:

Eheu quàm pingui macer eſt mihi taurus in agro,
Idem amor exitium eſt pecori, pecoriſque magiſtro,
His certè neque amor cauſa eſt, vix oſſibus hærent,
Neſcio qui teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Diſputent de hàc re Philoſophi.

VI. Exploratum longà experientià eſt, quantùm animæ nocere poſſint oculi: animos enim ſenſuum miniſterio commoveri, & excitari quotidiè didicimus; lætamur ad gratiſſimam ſonori harmoniam, contriſtamur lamentis, ſtrepitu conturbamur. Quod ſi

Segnius irritant animos immiſſa per aures,
Quàm, quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Ex varietate aſpectus oculorum varia quoquè affectuum concitatio, ac robuſtior producitur: lux enim in obiectorum vertice ad conum modificata determinato quodam motu, & impetu tres oculi humores transfodiens, perducitur ad ipſam retinam, quà oculi antrum veſtitur; qui motus conceptus in parte ſolidà, & cerebro propinquiori procùl dubio fit vehementior, & internos concitat ſenſus, animamque ipſam advocat, ut duorum luminum indicio ſe prodat. *Oculos*, inquit, Cicero Quinto fratri, *natura nobis ut equo, & Leoni ſetas, & caudam, & aures ad motus animorum declarandos dedit:* Et libro 2. de Oratore. *Imago animi eſt vultus, indices oculi,* nàm

Digitized by Google

nàm hi ſunt una corporis pars, quæ quot animi motus ſunt, tot ſignificationes poſſunt efficere. Undè Marſilius quoquè Ficinus egregius Plotini, ac Platonis commentator lib. 9. de Regn. Cap. 20. inquit. *Oculi ſunt animi indices, per quos homines clementiam, miſericordiam, amorem, odium, iram, lætitiam, triſtitiam, & hujuſmodi affectus oſtendunt, & magis eos augent*. Oſtendunt enim, & movent lætitiam, ſi venuſti rident, dolorem, ſi triſtes illachrymantur, iram, ſi acerrimi ardent, miſericordiam, ſi blandi humeſcunt, amorem, ſi hilares deliniunt, metum, atquè odium ſi graves terrent, ſi torvi intuentur.

VII. Quantà diligentià ſint oculi noſtri cuſtodiendi, natura nos docet, quæ ùt inquit Lactantius lib. de Opificio: *illos ut munitiores eſſent ab iniurià, ciliorum teguminibus oculuit, undè oculos dictos Varroni placet*. Et quemadmodùm temerè apertis feneſtris cubiculorum, in quibus habitamus perflantibus ventis offendimur, & impuri quandòque aeris noxiis qualitatibus inficimur; ità ſi oculi, qui ſunt corporis feneſtræ non ad rationis nutum, ſed ad voluptatum dominium aperiantur, nullum erit malum, nulla pernicies, nullum periculum, cui ſe anima non exponat, & quod certè non ſit timendum. Proh dolor! Dùm homines corporis ſui periculo conſulunt, omnem curam adhibent in oculis conſervandis, cùm autèm de animà agitur, in quam per oculos omnia ſeſe vitia effundunt, nihil timent,

nihil

nihil operantur. Quantùm amamus proprios oculos, tantùm debemus metuere alienos; par enim periculum eſt inordinatè videre, ac videri. Hinc Clemens Alexandrinus Pedagogi lib. 3. fol. 251. inquit: *laſcivi autèm aſpectus, & verſatilibus, ac tanquàm conniventibus oculis intueri nihil eſt aliud, quàm oculis mœchari, cum per eos cupiditas ineat primæ pugnæ prælud ia, antè totum enim corpus corrumpuntur oculi*. Quot fortiſſimi viri intèr inimicorum tela victores, unius oculi jaculo vulnerati miſerrimè interierunt: illos ego fortiores judico, qui oculis mulierum, quàm qui hoſtium ſagittis reſtiterunt, illi animum lethali vulnere conficiunt, iſtæ corpus; undè quantùm diſtat animus à corpore, eo celebrior triumphus. Quod incautos ſuis jaculis impudici oculi confodiant, intèr cæteros teſtatur Ambroſius, qui lib. de Joſeph, illius caſtitatem nobis commendans, celebranſque dignis laudibus victoriam, quam de impurà fœminà reportavit: *prima*, inquit, *adulteræ tela ſunt oculorum, ſecunda verborum, ſed qui non capitur oculis, poteſt verbo reſiſtere, tertium ſpiculum adultera interpellandi aſſiduitate vibrat, ſed Joſeph non audiebat eam*.

VIII. Per oculorum rimulas in mentis arcem voluptates aſcendunt, & dùm illis permittitur hoſpitium, ſtatim crudelem tyrannidem exercent. *Fornicatio mulieris in extollentià oculorum, & in palpebris ejus agnoſcenda*; verba ſunt Eccleſiaſt. Cap. 26. verſu 2. & Divinus præceptor Chriſtus ſciens, quale ani-

animo detrimentum afferant oculi laſcivè intuentes, inquit. Matthæi 5. *Siquis viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jàm mæchatus eſt eam in corde ſuo: Hinc intelligere plenè poſſumus*, inquit Salvianus de gubernatione Dei lib. 3. *quàm caſtos nos eſſe, Salvator juſſerit, qui etiàm licentiam viſionis abſcidit; Sciens enim, feneſtras quodammodò eſſe noſtrarum mentium lumen oculorum, & omnes improbas cupiditates in cor per oculos quaſi per naturales cuniculos introire, extinguere eas penitùs foris voluit, ne intùs orirentur, & lethalitèr creſcentibus fibris convaleſcerent fortaſsè in animo, ſi germinaſſent in viſu: Idcircò itaquè ait Dominus, petuleos impudicorum hominum intuitus noxà adulterii non carere, ſcilicèt ut qui bonà fide fugeret adulterium, cuſtodiret aſpectum*. Hinc etiàm cùm in oculis, velutì in ſpeculo animi diſcernantur, meritò Sacræ litteræ omnia vitia, quæ animo imputantur, oculis non ſemèl tribuerunt: nàm Pſalm. 100. ſuperbus appellatur oculus: Avari, & inſatiabiles dicuntur; Eccleſiaſt. 4. verſu 8. *nec ſatiantur oculi ejus divitiis*; Ezechielis paritèr 14. verſu 9. *inſatiabilis oculus cupidi*. Irati; Pſalmo 6. verſu 8. *turbatus eſt à furore oculus meus*, & 30. verſu 10. *conturbatus eſt in irà oculus meus*. Quin etiàm ipſum Idololatriæ crimen, quod maximum eſt, & quod ùt alibì explicavi agens de Idolo Moloch, ſub fornicationis nomine plerumquè in Sacris litteris exprimitur, etiàm oculis attribuitur. Hinc Numer. Cap. 15. verſu 37. 38., & 39. *Dixit quoquè Dominus ad*

Digitized by Google

Moyſen, loquere filiis Iſrael, & dices ad eos, ut faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, ut cum eas viderint, recordentur mandatorum Domini, nèc ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes. Sic Ezechielis 6. verſu 9. *Et recordabuntur mei liberati veſtri in gentibus, ad quas captivi ducti ſunt, quià contrivi cor eorum fornicans, & recedens à me, & oculos eorum fornicantes poſt idola ſua*. Atque ut uno verbo exprimamus, quantùm nobis noceant oculi, niſi ſummà quàdam induſtrià dirigantur, ſatis eſt ſi dicamus, eos eſſe quoſdam animorum laqueos, quibus capti, atquè decepti a ſempiternà ſummi boni pulchritudine retrahuntur. Inſurrexerat impius Holofernes adverſùs populum Iſrael, obſederat formidabili exercitu Bethuliam, jàmque cives in extremo periculo verſabantur; ſed barbarum Ducem, quem nèc murorum fortitudo fatigaverat, nèc à finibus obſeſſæ Urbis ſagittarum impetus arcebat, proprii oculi vicerunt, qui venerat ut alios captivos duceret, captus eſt oculorum ſuorum laqueo, vulneratus eſt oculis ſuis, ut ferro ſuo necaretur. Manibus Judith oculi Holofernis auxilium præbuerunt, & Deo ſic diſponente factum eſt, ut Sanctæ mulieris preces exaudirentur, & qui viderat allicientem admirabili decore, & pulchritudine vultum, non viderit manum occidentem. *Fac Domine*, ſic oravit Judith, ut legimus ejuſdem Cap. 9. verſu 12. *ut gladio proprio ejus ſuperbia amputetur*,

tetur, capiatur laqueo oculorum ſuorum in me. Qui nimis volunt videre, videant Holofernem extinctum, ſedulòque recogitent, quanti videndo perierint, lugeant quòd malè viderunt: Aperiant fœminæ oculos mentis, ne dùm oculis corporis alios exiſtimant in ſervitutem redigere, ipſæ in laſcivi amoris triumphum captivæ ducantur. Punivit Deus oculos filiarum *Sion*, & adimplevit, quod prædixerat per Prophetam ſuum, nempè, ut ab hoſtibus captivæ ducerentur, quæ homines laſcivis oculis in ſervitutem redigebant.

IX. Hoc exprimitur verſu 17. nempè: *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit*. Decaluare, ſivè nudare verticem eſt ſervum facere, & captivum ducere. Solebant enim ſervi nudato capite incedere: Deuteronomii Cap. 32. verſu 42. *de cruore occiſorum, & de captivitate nudati inimicorum capitis*. Exechielis Cap. 29. verſu 18. *Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſervire fecit exercitum ſub ſervitute magnà adverſùs Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt*. Undè Roſinus lib. 1. antiquitatum Romanarum Cap. 20. *Qui manumiſſi, & libertate donati erant, raſo capite pileum geſtabant libertatis inſigne, undè & proverbium natum ad pileum vocare*. Cùm igitùr ſervis pileum ferre non eſſet permiſſum, hàc fortaſsè de causà invaluit uſus apùd Occidentales, ut cum aliquem ſalutamus, capita denudemus; quà ceremonià oſten-

Digitized by Google

dimus, nos eſſe illius ſervos. Quod verò inſigne libertatis pileus eſſet apùd veteres, certiſſimè oſtēditur ex Plauto in Amphitryone act. 1. ſcenà 1. in fine.

. . . . Quod ille faciat Juppiter,

Ut ego hodiè raſo capite caluus capiam pileum.

Perſius Satyrà 5.

Hæc mera libertas hanc nobis pilea donant.

Seneca lib. 6. Epiſt. 47. *dicet nùnc aliquis me vocare ad pileum ſervos.*

X. Conſtat hoc etiàm ex argenteo Bruti numiſmate, in quo ut oſtendatur Romanos, per mortem Cæſaris ad libertatem fuiſſe redactos, inſculptus eſt pileus intèr duos pugiones, & expreſſus etiàm menſis patratæ coniurationis; legimus enim.

E I D. M A R, hoc eſt Idibus Martii



XI. In numiſmate æreo Galbæ cernitur mulier velo amicta, habens in ſiniſtrà manu virgam, & in

& in dexterà pileum cum hàc inſcriptione: *libertas publica*. Virga illa à veteribus dicebatur *vindicta*, à quà manumiſſi vindictæ, quoniàm intèr leges manumiſſionis hæc una erat, ut ductus à Domino ſervus raſo capite à Prætore virgà percuteretur; quà actione in libertatem vindicabatur, & hinc lucem accipit Juvenalis Satyrà 5.

.... Omnia ferre
Si potes, & debes pulſandum vertice raſo
Præbebis quandòque caput, nec dura timebis
Flagra pati.

Perſius Satyrà 5.

Vindictà poſtquàm meus à Prætore receſſi,
Cur mihi non liceat, juſſit quodcumque voluntas?

Hanc eamdem expreſſionem publicæ libertatis cum pileo, & virgà cernere poſſumus in æreo nummo Gordiani Pii.

XII. Adeò certum eſt, ſervos nudo capite proceſſiſſe, ut qui ex voluntate Domini pileum ſumerent, manumiſſi, cenſerentur, & civitate donarentur, quod conſtat ex L. unicà §. ſed & qui Domini Cod: de latinà libertate tollendà, ubi legimus: *ſed & qui Domini funus pileati antecedunt, vel in ipſo lectulo ſtantes cadaver ventilare videntur, ſi hoc ex voluntate fiat, vel teſtatoris, vel hæredis, fiant illicò Cives Romani.*

XIII. Quia verò verſu 18. iſtius capitis multa à Prophetà enumerantur, quæ ad indumentum, orna-

ornatùmque ſui temporis mulierum attinebant; ait enìm: *in die illâ auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſindones, & vittas, & theriſtra:* neceſſe eſt ut aliqua, quæ obſcuriora, & minùs peritis difficiliora eſſe poſſunt, hic explicemus.

Lunulas, aliqui exiſtimaverunt, ad capitis ornamenta pertinere, aliqui fuiſſe ſpeciem ligamenti, quo veſtes ſubnecterentur; Divus tamèn Hjeronymus in hoc Iſaiæ caput lunulas docet, fuiſſe numiſma, quod à fœminis in fronte geſtaretur, cujus figura lunam exprimeret; quarè etiàm Iſidorus lib. 19. Cap. 31. ſunt, inquit, ornamenta mulierum in ſimilitudinem Lunæ bullulæ aureæ dependentes.

XIV. Torques erat aurea catena, quæ ornamenti gratià è collo pendebat, inventa ad ſimilitudinem earum, quà olìm rei ligabantur, quæ torques à torquendo nuncupabatur.

XV. Armillis brachia quandòque cingebant fœminæ, & ideò hìc intèr mulierum ornamenta numerantur, quamvìs ad viros magìs, quàm ad mulieres pertineant, undè etiàm viriola ab antiquis appellabantur. Certè Geneſis Cap. 38. verſu 18. Thamar pro arrhabone requiſivit à Judà annulum, armil-

Digitized by Google

armillam, & baculum. Multi ſunt, qui non ſinè fundamento armillæ vocabulum ab armis deducant; cùm armillæ quædam velutì eſſent teſſera militaris, & militibus ob bellicam fortitudinem conferrentur. Saulem armillam geſtaſſe, narratur 2. Regum Cap. 1. vir enim Amalecites, qui miſerrimam illius mortem Regi Davidi nunciavit, ad illum attulit diadema, & armillam, ut nemo poſſet in dubium revocare, Saulem fuiſſe extinctum, nàm legimus: *tuli diadema de capite ejus, & armillam de brachio illius*. Quamvìs autèm ad militaria ornamenta armillæ poſſint referri, eiſque fortaſsè ob res præclarè geſtas, vel ad fortitudinis incitamentum decorarentur milites, nulli tamèn dubium eſt, militum non ſolùm, ſed aliorum quoquè hominum, ac fœminarum fuiſſe ornamentum, ut clarè colligitur ex hoc Iſaiæ Cap., & ex Geneſis Capite ſuprà adducto. Quin etiàm Plutarchus in vità decem Rethor. fol. mihi 587. verſu 43. ex veteribus narrat: *Demoſthenem jàm pridèm ſibi à Macedonibus metuentem armillam veneno infectam geſtaſſe circà brachium*. Conſtat etiàm apùd antiquos, annulorum, armillarum, pretioſorumque lapidum è collo ſuſpenſorum uſum non tàm ad corporis ornamentum fuiſſe invectum, quàm in rerum agendarum rememorativum ſignum; undè illud Cantic. *Pone me ut ſignaculum ſupèr cor tuum, ut ſignaculum ſupèr brachium tuum*. Multi adhùc in antiquariorum loculis aſſervantur inſculpti lapides,

des, quibus tanquàm ſignis, vel amuletis homines priſci uterentur. *Bellicoſis* v. g. ut narrat Plutarchus de Iſide, & Oſiride pag. mihi 356. num. 33. *Sculptura annuli erat Scarabeus, hoc enim inſectum ſexu fœmineo caret*: hoc idem ſignum ex aliquo duro, pretioſoque lapide formabatur, & in bellicæ fortitudinis monimentum ad inſtàr armillarum brachiis militum alligabatur.

XVI. Ad munerulas venio, quæ erant quædam aurea ornamenta, ſivè catena ità flexuoſa, quæ mulierum collo facilè poſſet aptari, & quæ ità argenteis, aureiſque punctis diſtinguebatur, ut Murenæ piſcis varietatem videretur imitari. Undè Cantic. 1. verſu 10. *murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.*

XVII. Mitra pro quocumque capitis operimento aliquandò ſumebatur. Undè Hjeronymus Epiſtolà 23. tùnc crines ancillulæ diſponebant, & mitellis criſpantibus vertex arctabatur innoxius. Recenſetur intèr mulierum ornamenta Judith. Cap. 10. verſu 3. ubi legimus, quod illa, antequàm Holofernem adiret, *diſcriminavit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſupèr caput ſuum*. Servius ad 9. Aneid. verſu 616. ait, pilea virorum propriè ſunt mitræ fœminarum, quas Calanticas dicunt. Apud Occidentales probroſum erat viris mitrà redimiri. Undè Ovidius Epiſt. 9. Decanira Herculi.

Auſus es birſutos mitrà redimire capillos

Aptior

Aptior herculeâ populus alba coma.

Et Hjarbas, ut canit Virg. lib. 4. Eneid, intèr alia obiicit Eneæ, quod fœmineis ornamentis uteretur, ac præcipuè mitrà.

Mæonià mentum mitrà, crinemque madentem
Subnixus . . .

Lydi tamèn, Perſæ, Phryges, Arabes abſquè reprehenſione mitras geſtabant, undè apùd eos non fœminas tantùm, ſed & viros mitratos proceſſiſſe, certum, atquè exploratum eſt.

XVIII. Mitram ad Sacerdotalia ornamenta pertinuiſſe, ex Levitici Cap. 8. verſu 13. deducimus; Moyſes enìm conſecrato Aarone ex Domini præcepto: *filios quoquè ejus oblatos veſtivit tunicis lineis, & cinxit baltheis, impoſuitque mitras, ut juſſerat Dominus*. Cùm autèm verſu 9. antecedenti legatur: *Cidari quoquè texit caput*, & in translatione Hebraicà, verſioneque ſeptuaginta habeamus, *& impoſuit mitram ſupèr caput ejus*; Et antiqui auctores tiaram, & Cidarim Perſarum indifferentèr uſurpent, jàm non incongruè quæri poteſt, quodnàm intèr tiaram, ac mitram ſit diſcrimen. Dempſterus ad Cap. 35. lib. 5. Roſini antiquitatum Romanarum exiſtimat, utriuſque rei diſcrimen à formà eſſe repetendum, cum tiara ſit adinſtàr dimidiatæ Lunæ, mitra autèm acutiùs protendatur. Certè Cidaris, mitra, atquè tiara promiſcuè in Sacris litteris ſumuntur, ſi connectamus Cap. 28. Exodi cum Cap. Le-

vitici ſupracitato : cùm enim agitur de conſecratione Aaronis, & filiorum ejus verſu 36., & 37. jubet Dominus Moyſi ; *facies & laminam de auro puriſſimo, in quâ ſculpes opere cælatoris Sanctum Domino, ligabiſque eam vittâ hyacinthinâ, & erit ſupèr tiaram ;* itèm verſu 40. *Porrò filiis Aron tunicas lineas parabis, & baltheos, ac tiaras.*

XIX. Diſcriminalia illa erant, quibus crines diviſi religabantur, unde Iſidorus lib. 19. Cap. 31. inquit : *diſcriminalia capitis mulierum ſunt vocata ex eo, quod caput auro diſcernant, nàm diſcriminare, dividere dicitur.* Solebant autèm fœminæ non tantùm acu plexos crines diſtinguere, undè & Martialis lib. 14. Epig. 24.

Tenuia ne madidi violent bombycina crines
Figat acus tortas, ſuſtineatque, comas.

ſed etiàm auro, gemmiſque diſcriminare, & hìnc Claudianus de 6. Honor. Conſul.

Ac velùt officiis trepidantibus ora puellæ
Spe propriore thori mater ſolertior ornat
Adveniente proco, veſteſque, & cingula comit
Sæpè manu, viridique anguſtat jaſpide pectus,
Subſtringitque comam gemmis, & colla monili
Circuit, & baccis onerat candentibus aures.

XX. Periſcelis illud appellabatur ornamentum, quo crura circumdabantur, eſt enim περὶ circà σκέλος autèm crus ſignificat. Iſtius vocabuli mentio habetur in aliis Sacræ Scripturæ locis, præcipuè

cipuè Numer. Cap. 31. verſu 50. ubi Principes exercitus, qui victores de Madianitis revertebantur intèr cætera donaria, quæ Domino obtulerunt, recenſent periſcelides, armillas, annulos, dextralia, ac murenulas. Eſt etiàm vocabulum prophanis auctoribus notum; nàm Horatius lib. 1. Epiſt. 17. ad Scevam

Nota refert Meretricis acumina ſæpè Catellam
Sæpè periſcelidem raptam ſibi flentis, uti mox
Nulla fides damnis, veriſque doloribus adſit.

XXI. Vittarum uſus varius erat apud antiquos, nàm ut jàm meminimus ex Numer. Cap. 15. illis olìm Sacerdotes palliorum angulos ornabant. Fœminæ autèm, & viri, ut plurimùm vittis ad capita circumdabant, nè prolixa coma deflueret. Ovidius 2. Metamor.

Vitta coercuerat neglectos alba capillos.

Lucanus Lib. 5.

Tum torta priores
Stringit vitta comas

In veterum ſacrificiis adhibitas colligitur ex Virg. 2. Æneid.

Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ

Et 3. Æneid.

Vittaſque reſoluit
Sacrati capitis.

XXII. Quemadmodùm mutatoria erant veſtes pretioſiores ad ſolam pompam, voluptatemque

by Google

inuectæ; ità theriſtrum indumentum erat æſtivum, quo ſe fœminæ contegebant. *Theriſtrum*, inquit hic Hjeronimus, *nos poſſumus appellare palliola, quibus obvoluta eſt Rebecca, & hodiè quoquè Arabiæ, & Meſopotamiæ* operiuntur fœminæ, eo quod ἐν θέρει ideſt in æſtate, & caumate corpora fœminarum tegant. Videatur Tertullianus de pall. Cap. 4. Certè ſi pallium, quo operta eſt Rebecca, ut narratur Geneſis Cap. 24. juxtà expoſitionem Hjeronymi ad Theriſtrum debet referri, jàm non ſinè fundamento affirmare poſſumus, illo non humeros tantùm, ſed & vultum quoque fœminas operuiſſe. Hinc Geneſis Cap. 38. verſu 14 expreſſum eſt, quod Thamar *depoſitis veſtibus viduitatis aſſumpſit Theriſtrum*. Quod verò illa hoc indumento vultum tegeret, clarè deducitur ex verbis, quæ ſequuntur, nempè: *Quam cùm vidiſſet Judas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem*. Cognoviſſet profectò Judas Thamar, neque ſuſpicaretur illam eſſe meretricem, ſi illius vultus ſuperpoſito Theriſtri indumento non eſſet celatus. Hæc de veſtibus, ornamentiſque mulierum dixiſſe ſufficiet. Omnia hæc à Domino auferenda prædicit Iſaias, non quià mulieres ornari non poſſint, ſed quià illæ ad pompam, libidinemque ornabantur. Si quis ſcire velit, quæ veſtes, qualiſue ornatus mulieribus conveniat, legat Tertull. de habitu mulierum, & de cultu fœminarum, Cyprianum de diſciplinà, & habitu virginum, Hjeronimum Epiſtolà de vitan-

tan-

Digitized by Google

tando contubernio, Baſilium ſerm. in divites avaros, Ambroſium in exhortatione ad Virgines, & in 1. ad Timot. 2., Chryſoſtomum homilià 30. in Epiſtolà ad Romanos, & lib. de Virginit. Cap. 62. Auguſtinum ſerm. 18. de verbis Apoſt., Nazianzenum adversùs mulieres.

AD

by Google

AD

CAPUT QUARTUM.

verſ. IV.

Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion.

LECTIO XXIV.

I. NON ſinè myſterio Propheta frequentèr, & lavacra, & ablutiones nominat, ut tacitè innuat ſalutifera lavacra è fontibus Salvatoris manatura. II. Ablutiones, vel ad initiandos Sacerdotes divinis myſteriis, vel ad accipiendam legem, vel ad munditiem legalem adhibitæ. Aſperſiones aquæ, & ſanguinis cum hyſſopo, & lanà coccineà commemoratæ ab Apoſtolo ad Hebræos Cap. 9. verſu 19. III. Hyſſopi qualitas, & ſpecies. IV. Cur de hyſſopo, & lanà coccineà non fiat mentio in Cap. 24. Exodi. V. Enumerantur aſperſiones, & ablutiones frequentiores in veteri lege. VI. Vetus Hebræorum traditio populum antè dirutum templum Circumciſione, baptiſmate, & ſacrificio cruento initiatum, poſt dirutum templum baptiſmate, & Circumciſione. VII. Quemadmodùm in vete-

ri lege Circumciſio non fuit ſinè myſterio inſtituta, ità & omnes aſperſiones ſuo myſterio non caruere. VIII. Iſaiæ Caput 11. cum 12. connectitur, & explicatur. IX. Crux Salvatoris litterà T tau expreſſa. X. Chriſti ſepulchrum glorioſum. XI. Fontes a Zaccharià prædicti in ablutionem peccatoris. XII. Promiſſæ ablutiones ad tempus Chriſti veri Meſſiæ referuntur. XIII. Spiritum gratiæ, & precum ſupèr domum David, & ſupèr habitatores Jeruſalem ſolus Deus homo effudit. XIV. Prophetarum vaticiniis hæc catholica veritas propugnatur XV. Verſus 31. Cap. 31. Jeremiæ explicatur XVI. Itèm verſus 9. Pſalmi 50. XVII. Ex eodem Pſalmo 50. oſtenditur, quam ſpem reponerent Prophetæ in Chriſtum venturum.

I. POſtquàm deſcripſit Propheta noſter futurum urbis excidium, & prænunciavit tàm paucos in eà ſuperſtites remanſuros, ut ſeptem uxores vix unum virum poſſent reperire, quo afflictiſſimæ gentis ſuboles propagetur, ſtatìm populum ſuum erigit in ſpem maximæ felicitatis, & ſtatus melioris, ad quem in Meſſiæ temporibus fideles adducentur, & hoc unum veluti non prætereundam conditionem præmittit, *ſi abluerit Dominus ſordes filiarum Sion*, quæ verba, ſi connectantur cum illis, quæ in capite primo expreſſa ſunt, nempè *lavamini, mundi eſtote*, & omnia ad Caput 12. ejuſdem Prophetæ referantur, intelligemus profectò, non de qua-

quàcumque vulgari ablutione ſermonem eſſe, ſed de admirabili, divinoque lavacro, quo peccatorum maculæ abſtergerentur, animæque renaſcerentur; inquit enim: *haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Hoc eſt illud ſalutiferum lavacrum, quod in omnibus antiquæ legis ablutionibus præfigurabatur, & ad quod altiùs in animis hominum imprimendum, tàm varii ablutionum, aſperſionumque ritus fuerunt inuecti. Quam veritatem ut explicemus.

II. Conſiderare priùs debemus illas ablutiones, quarum frequens mentio eſt in antiquo teſtamento, & quæ vel ad initiandos divinis myſteriis Sacerdotes, vel ad præparationem legis obſervandæ, vel deniquè ad munditiem legalem adhibebantur. Ad præparationem legis accipiendæ pertinent cæremoniæ expreſſæ Cap. 19. Exodi verſu 10. cum Dominus dixit ad Moyſen: *vade ad populum, & ſanctifica illos hodiè, & cràs, laventque veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium; in die enim tertià deſcendet Dominus coràm omni plebe ſupèr Montem Sinai*. Hæc ablutio juxtà Hebræorum traditionem ità in lege retenta eſt, ut nemo ſivè Originarius, ſivè Proſelytus juſtitiæ potuerit illà carere, quin indignus reputaretur Iſraeliticæ gentis conſortio. Sacrificio etiàm cruento, & aſperſione ſanguinis ſe diſpoſuiſſe populum ad accipienda divina mandata, narratur Exodi Cap. 24. verſu 5. 6., & 7. nam ibì

ibì legimus; *miſitque juvenes de filiis Iſrael, & obtulerunt holocauſta, immolaveruntque victimas pacificas Domino vitulos. Tulit itaquè Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateras, partem autèm reſiduam fudit ſupèr altare, aſſumenſque volumen fœderis legit audiente populo, qui dixerunt; omnia, quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes, ille verò ſumptum ſanguinem reſperſit in populum, & ait, hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum*. Hanc eamdem cæremoniam refert D. Paulus ad Hebræos Cap. 9. verſu 19. cum inquit: *lecto enim omni mandato legis à Moyſe univerſo Populo accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum cum aquà, & lanà coccineà, & hyſſopo, ipſum quoquè librum, & omnem populum aſperſit dicens, hic ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus*. Nequè hic aliquis miretur, quod Gentium Doctor, & aquam, & lanam coccineam, & hyſſopum affirmet Moyſen adhibuiſſe, cum in ſupracitato Cap. Exodi ſola ſanguinis aſperſio commemoretur; nàm voluit hìc, & conſuetum aſpergendi uſum, materiam videlicèt aſperſionum, & inſtrumenta illarum, velutì in compendio deſcribere. Aqua ſanguini admiſcebatur, ut ille faciliùs flueret, & ne congelatus inutilis fieret aſperſionibus; hyſſopum etiam uſurpabant, quià hæc herba dignoſcitur tenax illius humoris, quo fuerit immerſa; eſt enim comata, & conſtat aliquandò ſpicato, purpureoque floſculo, ac turgido, & in ſexquipedalem magnitudinem

 aſſur-

Digitized by Google

aſſurgit, quarè aſperſionum inſtrumentum idoneum judicatur.

III. Cæterùm, cùm hyſſopi mentio habeatur in lib. 3. Regum Cap. 4., ac Salomon diſſeruiſſe memoretur à cedro Libani uſquè ad hyſſopum, quæ egreditur è pariete, multis perſuaſum eſt, quod, cùm non una, ſed varia reperiatur hyſſopus, illam, de quà in ſupradicto Regum Capite fit mentio, eſſe potiùs Adiantum, ſivè capillum Veneris, ſeù vulgò herbam paretariam, quæ ex humidis, detectiſque parietibus enaſcitur, & denſis, criſpatiſque foliis in exiguam altitudinem erumpit. Videatur Lemnius in explicatione herbarum Bibliæ Cap. 26. Salmaſius in Solinum de homonymis fol. mihi 800. Cap. 19. Non unam etiàm fuiſſe hyſſopum, deducitur ex Joannis Cap. 19. verſu 29., ubi ille enarrat, quod ſpongiam plenam aceto hyſſopo circumponentes obtulerunt ori Chriſti Domini, quæ verba nobis declarant, hyſſopum adhibitam à Judæis non fuiſſe tenuem, atquè exilem, ſicùt illa erat, quà ad aſperſiones utebantur, ſed quæ exiguam formaret arundinem, cui commodè circumponi poſſet ſpongia aceto plena, quin ipſa hyſſopi arundo, aùt frangeretur pondere, aùt ſaltèm inflecteretur.

IV. Sed revertamur, undè egreſſi ſumus. Hyſſopi non fit mentio in Cap. 24. Exodi, nequè lanæ coccineæ, quia jàm conſtabat, quænam eſſent iſtru-

inſtrumenta aſperſionum. Nàm Exodi 12. verſu 22. cum ſolemnitatem Phaſe Deus præcepiſſet, addidit; *faſciculumque hyſſopi tingite in ſanguine, qui eſt in limine*. Levitici autem 14. verſu 6. & 7. ad mundandum leproſum jubet Deus, ſumi duos paſſeres, unum vivum, alterum qui immoletur, & vivum cum ligno cedrino, coccho, & hyſſopo intingi ſanguine paſſeris immolati, quo aſperget illum, qui mundandus eſt, ſepties. Et Numerorum 19. verſu 6. cum agatur de vaccà ruſà immolandà: legimus *lignum quoquè cedrinum, & hyſſopum, coccumque bis tinctum Sacerdos mittet in flammam*; & verſu 18. *In quibus cùm homo mundus tinxerit hyſſopum, aſperget ex eo omne tentorium*. Conſtat igitùr aſperſionibus vel aquæ, vel ſanguinis, aut initiatos divinis myſteriis Sacerdotes, aut receptum populum in fœdus legis, Aronem quoquè & filios ejus juſſit Deus Exodi Cap. ult. aquà lavari, antequàm Sacerdotes ungerentur, nàm verſu 12. & 13. ejuſdem Cap. ità expreſſum eſt: *applicabiſque Aron, & filios ejus ad fores tabernaculi teſtimonii, & lotos aquà indues Sanctis veſtibus; ut miniſtrent mihi*.

V. Veniamus jàm ad illas aſperſiones, quæ in lege antiquà communes erant, & frequentes, & ad exteriorem quamdam munditiem, ſivè luſtrationem adhibebantur. Levitici Cap. 11. verſu 25. ei, qui portaſſet reptilium cadaver, lotio, ſivè aſperſio imponebatur, legimus enim: *lavabit veſti-*

Digitized by Google

menta ſua, & immundus erit uſquè ad occaſum ſolis; verſu 40. eadem lotio præſcribitur tangenti cadaver animalis immundi. Levitici paritèr 14. verſu 8. intèr cæremonias leproſi mundandi hæc habetur: *cumquè laverit homo veſtimenta ſua, radet omnes pilos corporis, & lavabitur aquà*: verſu 47. de eo, qui dormierit, aut comederit in domo leproſi, legitur: *qui dormierit in eà, & comederit quidpiam, lavabit veſtimenta*. Levitici 15. verſu 6., & 7. de immundo facto ab eo, qui fluxum ſanguinis pateretur: *lavabit veſtimenta ſua, & ipſe lotus aquà immundus erit uſquè ad veſperam*. Levitici 16. verſu 26. & 28. *qui dimiſerit caprum emiſſarium, lavabit veſtimenta ſua, & corpus aquà*. Levitici 17. verſu 15. *Anima, quæ comederit morticinum, vel caprum, lavabit veſtimenta ſua, & ſemetipſum aquà*. Levitici 22. verſu 6. ei, qui tetigerit immundum ſupèr mortuo imponitur, *ſed cùm laverit carnem ſuam aquà, & occubuerit ſol, tùnc mundatus veſcetur de ſanctificatis*. Numerorum 8. verſu 7., & 21. cum agitur de mundandis Levitis, additur: *quod aſpergantur aquà luſtrationis, & radant omnes pilos carnis ſuæ*. Lotio paritèr neceſſaria reputatur portanti cineres Vaccæ Rufæ (Numer. 19. verſu 10.) Illi verò, qui nocturno ſomnio pollueren- tur, ità præſcribebat Deuteron. Cap. 23. verſu 11. *egredietur extrà caſtra, & non revertetur priuſquàm ad veſperam lavetur aquà*. Quàm plura alia reperiemus in Sacris Litteris iſtarum ablutionum, ſivè luſtratio-

Digitized by Google

tionum exempla, quas quidèm repetere licebat, quotiès neceſſitas poſtulaſſet, ſecùs verò illas aſperſiones, quibus aùt ad Sacerdotium, aùt ad legem homines initiabantur.

VI. Eſt autèm vetus Hebræorum traditio; quam ex eorum libris affert Seldenus de Synedriis, & præfecturis veterum Hebræorum lib. 1 Cap. 3. ipſos antè dirutum templum tribus potiſſimùm initiatos fuiſſe, nempè Circumciſione, Baptiſmo, & Sacrificio cruento, & hoc ex Sacris Litteris colligitur. Quoad Circumciſionem ex Gen. Cap. 17. Quoad Sacrificium cruentum, & baptiſma ex locis jàm citatis. Diruto verò templo duobus tantummodò initiabatur Populus, nempè Circumciſione, & baptiſmate. Circumciſio viris tantùm, baptiſmus viris, & fœminis erat conferendus.

VII. At quemadmodùm non temerè inſtitutam credimus in illà lege Circumciſionem, ſed ut aliquod magnum myſterium indicaret, nempè fœdus intèr Deum, & poſteros Abrahæ, in cujus ſemine benedicendæ erant omnes gentes, ità affirmare cogimur, non ſinè aliquo myſterio juſſiſſe Deum, tot aſperſiones, atquè ablutiones in aquà, & ſanguine fieri. Illæ profectò referendæ ſunt ad ſaluberrima, ac puriſſima lavacra, quæ humani generis Redemptor inſtituit, & quibus nos populus ejus, & oves paſcuæ ejus abluimur, & recreamur: hoc nobis non obſcurè indicavit Iſaias, cùm ceci-

by Google

cecinit Cap. 12. *haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

VIII. Hæc Prophetæ verba Meſſiæ tempora reſpicere, nemo inficiabitur, cùm canticum Euchariſticum, quod illis exprimitur, ſit continuatio quædam Cap. 11. in quo Meſſiæ adventus prænunciatur, ut legenti patebit. Incipit enim Cap. 11. *Et egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſupèr eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilii, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Radix Jeſſe eſt David familia, quæ ſuis Regibus ſpoliata, ut exponit hic Tirinus, quaſi plebeja latebat: Virga, quæ egredietur, & ut vertunt Symmachus, & Theodoſion germen novum, eſt Beata Virgo Maria: Flos eſt Chriſtus, de quo Cantic. Cap. 2. *ego flos campi, & lilium convallium*: in textu Hebraico *ego roſa campi, & lilium convallium.* Roſa, quià cùm virtutum ſuarum odorem longè, latèque diffunderet, voluit etiàm proptèr nos Spinis coronari; Supèr hunc florem requievit Spiritus Sanctus, nàm ex vi unionis hipoſtaticæ cum Verbo eſt in Chriſto Spiritus Sanctus, & cum eo dona ipſius in excellentiſſimo, perfectiſſimoque gradu. Quis eſt iſtius capitis verſus, qui Chriſto aptari non poſſit, & illi non conveniat; legatur præcipuè verſus 10. nempè: *in die illà radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes*

Digitized by Google

tes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus glorioſum: Hebraicè legimus, *& erit in die illâ eum, qui egredietur de radice Iſai, qui ſtabit ut vexillum populorum, gentes quærent, & erit requies ejus in gloriâ.* Jam Crux Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti eſt omnium populorum ſignum, ac totius Chriſtiani orbis vexillum, ſub hoc adverſùs inviſibiles, ac viſibiles hoſtes decertamus, in hoc gloriamur, ac vincimus, & quemadmodùm Numer. Cap. 20. Moyſes divino mandato ſerpentem æneum erexit, ut quicumque percuſſus eum aſpexiſſet, ſanaretur, ità Joan. Cap. 3. hoc factum ſui expreſſivum commemorans Chriſtus dixit: *exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Domuit Chriſtus orbem non ferro, ſed ligno, atquè in cruce pendens, omnia traxit ad ſe ipſum. Jàm adimpletum eſt, quod Cap. 9. prædixerat Iſaias nempè: *parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cujus imperium ſupèr humerum ejus;* Nàm in eo ligno, quod humeris Salvatoris noſtri Judæi impoſuerunt, felix, ac glorioſa Monarchia fundata eſt, quæ dominetur à mari uſquè ad mare, & à flumine uſquè ad terminos orbis terræ. Jam ablato à gente Judæâ ſceptro, ac Sacerdotio ſtabile Regnum fundatum eſt, provecta novi Sacerdotii dignitas ad ampliſſimam majeſtatem, & erecto noſtræ redemptionis ſigno acquiſitum nobis eſt jus libertatis, & Regni. Hoc ſignum, hoc imperium divino afflatus ſpiritu exopta-

exoptabat regius Pſaltes, dicens Pſal. 85. verſu 16. & 17. *reſpice in me, & miſerere mei; da imperium tuum puero tuo, & ſalvum fac filium Ancillæ tuæ; fac mecum ſignum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur*. Hoc ſignum prædixit Ezechiel Cap. 9. verſu 3. & 4. in quo legimus, quod vocavit Dominus virum, qui indutus erat lineis, & atramentum ſcriptoris habebat in lumbis ſuis, & dixit Dominus ad eum: *tranſi per mediam civitatem in medio Jeruſalem, & ſigna Tau ſupèr frontes virorum gementium*, & verſu 6. *Senem, adoleſcentulum, & Virginem, parvulum, & mulieres interficite uſquè ad internecionem, omnem autem, ſupèr quem videritis Tau, ne occidatis*. Huic capiti conſonat Caput 7. Apocalypſis: *vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum Dei vivi, & clamavit quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ, & mari, dicens, nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoad uſquè ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum*.

IX. Quod Crux Salvatoris noſtri litterà T tau exprimatur, antiquiſſimi Patres teſtantur: nàm Barnabas in ſuà epiſtolà editionis Coteleriana Cap. 9. affert illa verba Geneſis 14. verſu 14. nempè, quod cùm vidiſſet Abraham captum videlicèt Lot fratrem ſuum, numeravit expeditos vernaculos ſuos tercentos decem & octo, & poſteà ſic ait, *diſcite primum decem, & octo, dein tercentos*. Decem autèm & octo exprimuntur: per ' Jota decem, η ità octo; habes

bes initium nominis *Ἰησοῦς* Jeſus. Quià verò Crux in figurà Litteræ T tau, quæ ſignificat numerum trecentorum, habitura erat gratiam, ideò ait; & tercentos: oſtendit utiquè Jeſum in duabus litteris, & Crucem in tertià. Hinc etiàm Prudentius in præfatione Pſycomachiæ canit.

Nos eſſe largè vernularum divites
Siquid trecenti bis novenis additis
Poſſint figurà noverimus myſticà.

Videatur Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, & Divus Auguſtinus, qui quæſt. 37. in lib. Judicum exponens illa verba Cap. 7. nempè fuit itaquè numerus eorum, qui manum ad os projcientes lambuerunt aquas, tercenti viri, ait: *quorum numerus, quia tercenti erant, ſignum inſinuat crucis proptèr litteram* T *tau græcam, quà iſte numerus ſignificatur*. Ubì notare debemus, crucem juxtà Sanctos Patres ſignificari per litteram T tau græcam, quæ tercentum exprimit, non verò per T tau hebraicam, quæ quadringentos. Tertullianus lib. 3. contrà Marcionem exponens citatum locum Ezechielis ait: *da ſignum* T *tau in frontibus virorum, ipſa eſt enìm littera Græcorum* T *tau, noſtra autèm* T *ſpecies crucis, quam protend. bat futuram in frontibus noſtris apùd veram, & catholicam Jeruſalem, in quà fratres Chriſti filios Dei gloriam Patri Deo relaturos Pſalmus* 2c. *canit*. Nequè hic prætereundum eſt, quod notat Cœlius lectionum antiquar. lib. 10. Cap. 8. litteram T tau apud Ægyp-

tios fuiſſe Symbolum futuræ vitæ: Greſſerus etiàm, & Lipſius, quos refert Tirinus in Cap. 9. Ezechielis verſu 4. obſervarunt, quod tàm apùd Græcos, quàm Latinos damnandis à Judice præfigebatur littera O, liberandis verò littera T tau, quæ conſuetudo poterit nos in memoriam Dominicæ crucis excitare, cui ſi adhæreamus, ab æternà morte liberabimur, & in æternam vitam transferemur.

X. Addit Iſaias citato Cap. 11. *& erit Sepulchrum ejus glorioſum*. Erubeſcant Judæi, ac videant, tantà diligentià conſervari à Barbaris Sepulchrum illius, quem ipſi ſpreverunt, quem perſecuti ſunt, quem ignominioſè crucifixerunt. Si ad adoranda Chriſti naſcentis cunabula ab Oriente venerunt Reges, ad adorandum Chriſti Sepulchrum quot Reges congregati ſunt, quot Populi confluxerunt, & quotidiè confluunt? Omittimus reliquos hujus Capitis verſus, quos nemo attentè conſiderans affirmare poterit, aùt Legi Gratiæ, aùt Chriſto Domino non convenire. Cùm autèm Cap. 12., in quo prædicitur: *haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, ſit quædam continuatio iſtius 11., & concludat; *exulta, & lauda habitatio Sion, quià magnus in medio tui Sanctus Iſrael*: quo vaticinio nomen Emmanuel indicatur, quod interpetratur nobiſcum Deus, & innuitur ejuſdem Iſaiæ Cap. 7. Cùm hæc omnia jàm adimpleta ſint, dubitare etiàm non debemus, quod quemadmodùm verbo indicatæ, ac præ-

Digitized by Google

prænunciatæ ſunt aquæ, quæ è fontibus Salvatoris emanarunt, ità etiàm aliquo facto, nempè multitudine ablutionum, & aſperſionum.

XI. Hos fontes manaturos in peccati remedium, ac purificationem animarum, prædixit Zacharias Cap. 13. verſu 1. *in illà die erit fons patens domui David, & habitatoribus Jeruſalem in ablutionem peccatoris*. Erant quidèm aquæ expiationis, ut legimus Numer. 19. verſu 11., & ſeqq. Aquæ Siloe Iſaiæ 8. verſu 6., Joannis 9. verſu 7. Aquæ ſub limine templi erumpentes Ezechielis 47. verſu 1., ſed omnes iſti fontes figura, atquè umbra erant aquarum è lateribus Salvatoris erumpentium; & cùm hìc dicat Zacharias *in illà die*, verba ſunt ad illam memorabilem diem referenda, in quà Innocens Agnus pro nobis eſt immolatus, & Salvator clementiſſimus pretioſiſſimo effuſi Sanguinis lavacro nos mundavit, & peccatores æterno Patri reconciliavit. Fons fuit patens non ſolùm familiæ, & poſteris Davidis, ſed omnibus habitantibus Jeruſalem, nàm *erant habitantes in Jeruſalem ex omni natione, quæ ſub Cœlo eſt*, ut narratur Actorum 2. verſu 5.

XII. Quod verò Zacharias nullum aliud tempus prænunciet, in quo patere debeat fons in ablutionem peccatoris, quàm tempus Meſſiæ, hoc eſt beatam temporum plenitudinem, in quà Chriſtus nos redemit, & ut inquit Joannes Apocalypſ. 1.

Digitized by Google

lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, colligitur ex antecedenti Cap. 12. verſu 10. ejuſdem Prophetæ, ubi hæc ſunt expreſſa: *& effundam ſupèr domum David*, *& ſupèr habitatores Jeruſalem ſpiritum gratiæ*, *& precum*, *& aſpicient ad me*, *quem confixerunt*. Pertinet hæc prophetia, ut volunt interpetres, ad miſſionem divini Spiritus in Apoſtolos, ac fideles Chriſti factam in die Pentecoſtes, quod & quotidiè per univerſam Chriſti Eccleſiam in fidelibus completur, nàm ſpiritus gratiæ effunditur in nos, quià *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*, *qui datus eſt nobis*, ut inquit Apoſt. ad Rom. Cap. 5. Pro nomine gratiæ ponunt Hebræi Chen, quod vocabulum gratiam exprimit, quà alicui gratioſi, & amabiles ſimus, quarè in ſcripturà totiès dicitur, inveni, vel inveniam gratiam in oculis tuis, hoc eſt, ſim tibi gratus, placens, & amabilis; Deus ergò, ut notat hic Cornel. à Lap. pollicetur, quod per Chriſtum effundet in Fideles ſpiritum gratiæ, id eſt ſpiritum, qui eos per gratiam infuſam gratificet Deo, ipſique, & Angelis faciat gratioſos, & amabiles juxtà illud ad Epheſios Cap. 1. verſu 5. *prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in laudem gloriæ*, *gratiæ ſuæ*, *in quà gratificavit nos in dilecto filio ſuo*. Vocabulo *precum*, quod hebraicè eſt *Tacanunin*, Septuaginta vertunt *Miſericordiæ*, Chaldæus *miſerationum*, ità ut hunc efficiat ſenſum, effundam ſupèr domum David ſpiritum miſericordiæ,

Digitized by Google

diæ, & miſerationum, quæ verba, ſi connectantur cum poſterioribus, referenda ſunt ad compaſsionem ergà Chriſtum Crucifixum; radix enim *Chanan*, à quà ſupradictum vocabulum proficiſcitur, non ſolùm ſignificat miſereri, ſed etiàm deprecari, ut videre eſt apud Xanctem Pagninum in theſauro linguæ ſacræ verbo *Chanan*. Notare inſupèr debemus, duplicem ſpiritum fidelibus promitti; Spiritum nempè gratiæ, quo grati ſimus Deo, & Spiritum precum, quo ſcilicèt obtinere poſsimus illa bona, quibus indigemus. Quo pertinet illud Apoſtoli ad Rom. 8. verſu 26. *Spiritus adiuvat infirmitatem noſtram, nàm quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, hoc eſt, ut exponit Eſtius in Cap. 12. Zaccharìæ, *poſtulare nos facit*.

XIII. In hoc eodem Capite illum loqui, qui ſimùl ſit Deus, & homo, oſtendunt verba jàm expreſſa. Quis enim alius tantæ virtutis eſt, ac potentiæ, ut ſpiritum gratiæ, & precum effundere poſsit ſupèr domum David, & ſupèr habitatores Jeruſalem? Quod verò etiàm homo ſit, clariſsimè deducitur ex ultimis verbis, *& aſpicient ad me, quem confixerunt* hebraicè *Dacharù*, quod idem eſt, ac transfoderunt, transfixerunt, tranſpunxerunt, quæ quidèm Deo, utpotè corporis experti, convenire minimè poſſunt: Sunt ergò intelligenda prophetica verba de Filio Dei Incarnato, & in hoc etiàm con-

Digitized by Google

conveniunt priſci Judæi; ut multis probat Galatinus lib. 1. Cap. 27. Hunc ingratus populus poſt tot accepta beneficia acerbiſſimæ neci damnavit, hunc Crucifixum aſpexit Centurio, aſpexerunt ejus ſocii dicentes, *verè filius Dei erat iſte* Matth. 17. verſu 54 *& omnis turba eorum, qui ſimul aderant adſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua, revertebantur*. Lucæ 23. verſu 48. hunc aſpicit Chriſtianus orbis, multique crudeliſſimæ mortis recordatione intimè compunguntur; atquè in divinum amorem excitantur. Nullus jàm locus eſt, in quo Chriſtiana pietas noſtris oculis non obiiciat Crucifixi Imaginem, ut promptam doloris, atquè amoris occaſionem habeamus, memores, quod divinus Salvator animarum vulneratus, atquè occiſus eſt proptèr ſcelera noſtra, & quod ejus livore ſanati ſumus.

XIV. Quod verò ſpiritus gratiæ, & precum effundendus ſola Chriſti venturi tempora reſpiciat, facilè coniici poteſt ex aliis Prophetarum oraculis, quibus oſtenduntur inefficaces ritus antiquæ legis, illamque ſpiritu gratiæ, ac precum deſtitutam, quo ſcilicèt poſſet in amiſſam Dei amicitiam redire: nàm Iſaiæ 1. verſu 14. & ſeqq. dicit Dominus: *Kalendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odivit anima mea, facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens, & cùm extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam,*

ac

ac tandèm jubet, *lavamini*, *mundi eſtote*. Igitùr non ea lavacra requirit, quæ erant in lege, qui legis ſolemnitates oderat, ſed interiorem animæ puritatem, quæ perfectè erat obtinenda per ſpiritualem lavacrum in fontibus Salvatoris. Etiamſi extendiſſent manus Judæi, non erant exaudiendi, avertendi erant ab eis fulgentiſſimi divinæ majeſtatis oculi; tùnc erant admittendæ, atque exaudiendæ preces, fiducialitèr extendendæ manus, cùm manus extendiſſet in cruce Chriſtus Dominus, verus Meſſias, & fieret advocatus apùd Patrem, & propitiatio delictorum. Conſonat Jeremias Cap. 17. qui ait: *peccatum Judæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo in ungue adamantino*: & Amos Cap. 2. verſu 6. *ſupèr tribus ſceleribus Iſrael, & ſupèr quatuor non convertam eum*.

XV. Ex Jeremiæ autèm Cap. 31. verſu 31. fortiſsimum formare poſſumus argumentum, quo probemus, ſpiritum gratiæ, & precum eſſe promiſſum temporibus Meſsiæ. Nàm inquit Propheta: *ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Judæ fœdus novum, non ſecundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum in die, quà apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terrà Ægypti, pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum: ſed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael: poſt dies illos, dicit Dominus; dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, & non docebit ultrà vir proximum*

mum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens, cognoſce Dominum, omnes enim cognoſcent me à minimo uſquè ad maximum, ait Dominus, quià propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor ampliùs. Dixerat antecedentèr Propheta verſu 22 illius Capitis: *creavit Dominus novum ſupèr terram, fœmina circumdabit virum.* Tùnc ergò propitius debebat eſſe Dominus iniquitatibus populi, quandò videlicèt novum eſſet inſtituendum fœdus, nova lex danda, quæ eſſet ſculpta in hominum cordibus, non verò lapidibus impreſſa, cùm novum creaſſet ſupèr terram, videlicèt cùm ab immaculato Virginis ſinu prodiiſſet Meſſias, Deus, & homo. Hæc autèm omnia legem novam reſpiciunt, in quà, & ſpiritum gratiæ, & precum, & propitiationem peccatorum per Chriſtum verum Meſſiam, verum æterni Patris, verum Mariæ Virginis Filium accepimus.

XVI. Non ſunt hìc prætereunda verba Pſalmi 50. quibus indicantur mirabiles illæ aſperſiones, atquè purificationes in lege novà inſtituendæ ad abſtergendas peccatorum maculas, & mundandas fidelium animas, inquit enìm Regius Pſaltes àd Dominum verſu 9., *aſperges me hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſupèr nivem dealbabor*. Quæ quidèm verba non debere exponi de aliquà purificatione veteri, communi, & conſuetà, ſed de aliquà novà, & extraordinarià, antecedens verſus declarat; legimus enìm: *incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſta-*

Digitized by Google

feſtaſti mihi: pro incerto, & occulto hebraicè eſt *abſconditum*, *& arcanum*. Hoc abſconditum, hoc arcanum ſapientiæ, quod revelatum eſt, fuit ortus Meſſiæ ex ſemine ipſius Davidis, fuerunt uberrimi fontes gratiæ, qui ab aperto latere in mundi redempti utilitatem prodierunt. Iſti fontes ſunt illa incerta, atquè occulta ſapientiæ divinæ, quę Deus amicis ſuis, atque Prophetis indicavit, ut in fide adventuri Redemptoris homines inſtruerent, palàmque docerent, non eſſe in exteriori antiquę legis obſervantià ſpem reponendam, ſed in eo, qui naturæ leges ſtabilire, homines à peccatis abluere, novum Sacerdotium, novum Regnum fundare decreverat, in Chriſto videlicèt, de quo vaticinatur Iſaias Cap. 52. verſu 15. *iſte aſperget gentes multas*, *& ſupèr ipſum continebunt Reges os ſuum*, cùm jam prædixiſſet Cap. 1. verſu 18. nullam eſſe maculam peccatorum tàm tenacitèr animis impreſſam, moribuſque hominum inuſtam, quæ puriſſimo, novoque lavacro per Salvatorem inſtituendo deleri non poſſit: *Si fuerint*, inquit, *peccata veſtra*, *ut coccinum*, *quaſi nix dealbabuntur*, *& ſi fuerint rubra*, *quaſi vermiculus*, *velùt lana alba erunt*. Hìnc idem Propheta David prænunciatà admirabili illà aſperſione, quà ut æternæ ſapientiæ, ac Providentiæ ſuæ occultum artificium Deus illi pateficeret, ſtatim adiecit: *lavabis me*, *& ſupèr nivem dealbabor*, indicans nive puriores, & candidiores illos evaſuros. quos divino ſuo

Digitized by Google

lavacro merſiſſet liberatrix dextera Salvatoris; quod quidèm præſtare non poterant illæ totiès repetitæ moſaycæ legis aſperſiones. Nàm Jeremiæ Cap. 2. verſu 22. poſtquàm & Jeruſalem, & ingrati populi malitia reprehenditur, ſtatim ſcribitur: *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tuà coràm me, dicit Dominus;* & Job Cap. 9. verſu 28., 29., 30., & 31. *verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti; ſi autèm & sìc impius ſum, quarè fruſtrà laboravi? Si lotus fuero, quaſi aquis nivis, & fulxerint velùt mundiſſimæ manus meæ, tamèn ſordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea, nequè enim viro, qui ſimilis mei eſt, reſpondebo.*

XVII. Quod in Chriſto venturo omnem ſpem repoſuiſſet Propheta David, illa, quæ ſubſequuntur, verba declarant, nempè: *auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.* Sperabat per Chriſti adventum adimplenda, quæ interiùs, exteriùſque audiverat, concedendum hominibus ambulantibus in tenebris, ac umbrà mortis, duro exilio, ac miſerrimà ſervitute preſſis, jus libertatis & Regni, introducendos Salvatoris aſſeclas in Cœleſtem illam Jeruſalem, tranquilliſſimum Dei domicilium, deliciarum omnium ſedem. Hinc tanquàm jàm præſens pronunciabat Pſalmo 47., *Sicùt audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri,* & Pſalmo 85. *glorioſa dicta*

ſta ſunt de te civitas Dei; Pſalmo vero 121. incredibili animi lætitiâ affectus, lætitiæ ipſius cauſas explicabat: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus*; quaſi diceret, non me Regni majeſtas, non ſubditorum amor, non multitudo divitiarum, non partæ victoriæ extollunt, animumque curis, & ſollicitudinibus oppreſſum recreant, ſed quod me ſuaviſſimâ voluptate perfundit, quod à mæſtiſſimis curis revocat, eſt libertatis obtinendæ ſpes certa, atquè inconcuſſa, eſt promiſſio gloriæ per adventurum liberatorem meum: in hoc exultabunt oſſa humiliata, quod prædicit etiàm Iſaias Cap. ultimo verſu 13. *Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra, quaſi herba germinabunt*; oſſa videlicèt aùt humiliata tyrannorum crudelitate, aùt voluntariâ pœnitentiâ caſtigata, aùt ſæviſſimo, & inevitabili mortis imperio depreſſa, conculcata, attrita ſuam quoquè lætitiam experientur: Veniet enim beata illa dies, in quâ ad immortalem gloriam, ad perennem vitam reſurgent corpora, & in animarum ſempiternum conſortium vocabuntur. Hinc Job Cap. 19 *ſcio*: inquit, *quod redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terrâ ſurrecturus ſum, & rurſùm circumdabor pelle meâ*; concludens, *repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo*. Ezechielis quoquè Cap. 37. *facta eſt ſupèr me manus Domini. & eduxit me in ſpiritu Domini, & dimiſit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus, & circumduxit me per ea in*

 gyro;

Digitized by Google

gy os erant autèm multa valdè ſupèr faciem campi, ſiccaque vehementèr, & dixit ad me: fili hominis, putas nè vivent oſſa iſta? & dixi: Domine Deus tu noſti; & dixit ad me: vaticinare de oſſibus iſtis, & dices eis: oſſa arida audite Verbum Domini; hæc dicit Dominus Deus oſſibus his: eccè ego intromittam in vos ſpiritum, & vivetis, & dabo ſupèr vos nervos, & ſuccreſcere faciam ſupèr vos carnem, & ſuperextendam in vobis cutem, & dabo vobis ſpiritum, & vivetis, & ſcietis, quià ego Dominus. Videmus ergò quàntùm hæc Prophetarum oracula cum Davidico teſtimonio conveniant, & quàm juxtè hoc noſtris temporibus, nempè legi gratiæ debeant aptari.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

Rerum, ac Verborum notabilium, quæ in hoc volumine continentur.

Primus numerus indicat Lectionem.
Secundus numerum Lectionis.
Tertius Paginam.

A

	Lect.	Num.	Pag.
Abdias àn unus fuerit exquinquagenariis, aut Semicenturionibus miſſis ad Heliam.	2.	7.	26.
Ablutiones veteres ad quid adhibitæ.	24.	2.	320.
Ablutiones promiſſæ ad tempus Chriſti veri Meſſiæ referuntur.	24.	12.	331.
Aggæus ſuis prophetiis reædificationem templi ſuaſit.	2.	16.	31.
Agnus cur dicatur occiſus ab origine mundi.	16.	8.	215.
Allegoriarum fundamenta deſumuntur præcipuè ab iis, quæ ſunt in more apud homines.	16.	4.	209.
Altaris nomen undè deductum.	16.	8.	215.
Amor divinus eſt quædam progreſſio.	6.	6.	66.
Amorem ſui Deus principaliter expoſcit ab hominibus.	14.	15.	189.
Amos quà ætate prophetaverit, & ad quos.	2.	6.	25.
Anima ſinè gratià, quaſi terra ſinè aquà.	5.	5.	55.
Animæ rationalis tanta dignitas, ut pro eà nullum pretium juſtum dari potuerit à ſolà creaturà.	12.	2., & 4.	140. & 142.
Apparitio quid ſit.	1.	2.	3.
Arrianorum error.	11.	3.	115.
Armillæ, & mulierum, & virorum ornamentum, & aliquandò in ſignum rememorativum militibus conferebantur.	23.	15.	310.
Aſperſiones, & ablutiones frequentiores in veteri lege enumerantur.	24.	5.	323.
Aſperſiones, & ablutiones non ſinè myſterio inſtitutæ.	24.	7.	325.

Baruch,

Digitized by Google

B

	Lect.	Num.	Pag.
Aruch, cujus Diſcipulus, & quandò prophetaverit.	2.	14.	24.
Bellum à Judæis, & Hæreticis impugnatum.	18.	1.	234.
Bellum ad quod jus pertineat.	18.	2.	235.
Belli juſti aſſignantur cauſæ.	18.	3.	236.
Bellum defenſivum non deſtruit leges naturæ.	18.	12.	241.
Bellum, qui juſtè movet, quarè Juſtitiam ſervare dicatur.	18.	13.	242.
Bellum non repugnat Legi Scriptæ.	18.	14.	242.
Nec Legi Evangelicæ.	18.	15.	243.
Bellum non ideò damnabile, quià ex eo oriantur mala.	18.	16.	245.

C

	Lect.	Num.	Pag.
Capitis influxus anatomicè demonſtratur.	8.	1.	83.
Caput quaſſare ſignum animi irati, & aliquem ſpernentis.	23.	2.	299.
Caput demittere, & flectere apud veteres ſignum erat humilitatis, & pœnitentiæ.	23.	3.	300.
Capita quare denudamus occurrentes ſalutaturi.	23.	9.	307.
Chriſti nomen & virtus oleum eſt mirabiliter in omnes effuſum.	8.	7.	89.
Chriſti nomen cur à Sponſa appelletur oleum effuſum.	8.	10.	93.
Chriſti nominis hebraica etimologia.	ibidem		
Chriſti preces omnes ſervitutis umbram depellunt.	11.	6.	117.
Chriſti preces ad patrem interpoſitæ ejus miſericordiam oſtendunt.	11.	11.	125.
Chriſti vita bonorum operum exemplar.	11.	8.	122.
Chriſti interceſſoris majeſtas propugnatur.	11.	12.	126.
Chriſti oratio petentis, ut tranſiret Calix, qualis fuerit.	11.	16.	136.
Chriſti Sanguinem pro omnibus profuſum, quam conſtanter aſſeruerit Auguſtinus.	13.	10.	176.

Digitized by Google

	Lect.	Num.	Pag.
Chriſti paſſionis meditatio efficax remedium ad curanda conſcientiæ vulnera.	19.	3.	257.
Chriſti vulnera foramina petræ.	19.	4.	257.
Chriſti vulnera ad depellendum omnem timorem nos invitant.	19.	6.	260.
Chriſti Sepulchrum glorioſum.	24.	10.	330.
In Chriſto myſticâ petrâ ſecurum præſidium nobis præparatur.	19.	2.	256.
Chriſtus verus Meſſias eſt ſemen nobis relictum ad ſalutem.	10.	3.	106.
Chriſtum oraſſe Sacræ paginæ docent.	11.	2.	115.
Chriſtus orans ſuam majeſtatem retinuit.	10.	5. & 7.	116. & 120.
Chriſtus rogavit ut filius, rogavit ut hæres, non petens aliena, ſed ſua, non ſibi, ſed nobis.	11.	9.	123.
Chriſtus oravit ſciens ſe exaudiri.	11.	10.	124.
Chriſtus non ſolum carnem, & animam, ſed etiàm animæ affectus ſuſcepit.	11.	14.	129.
Chriſtus innocens pro peccatoribus, juſtus pro injuſtis oblatus admirabili divinæ ſapientiæ, & juſtitiæ artificio.	12.	5.	144.
Chriſtus offerendo ſe pro reis miſericordiam cum Juſtitiâ coniunxit.	12.	6.	146.
Chriſtus quamvis omnia acceperit à patre, patri tamen pleniſſimè ſatisfecit.	12.	11.	152.
Chriſtus pro omnibus ſe obtulit æterno Patri.	13.	1.	157.
Chriſtus ſicùt omnium aſſumpſit naturam, ità pro omnibus eſt mortuus.	13.	4.	163.
Cilices olim, quàm fuerint potentes.	21.	3.	276.
Cinguli uſus varius apud veteres.	16.	6.	213.
Collum denotat obedientiam.	23.	2.	299.
Colli elatio jactantiam ſignificat.	23.	2.	299.
Conſilium quomodò diſtinguatur à præcepto.	18.	19.	248.
Cordis varia officia.	8.	2.	84.
Cordis mæror undè.	8.	3.	85.
Creatio hominis ad ſimilitudinem Dei maximum beneficium.	4.	2.	26.
Creaturæ reprehendunt peccatores, & contrà ipſos armantur.	3.	8.	42.
Culpa flamma eſt quocumque incendio atrocior.	5.	6.	55.

Daniel

Digitized by Google

B

	Lect.	Num.	Pag.
BAruch, cujus Diſcipulus, & quandò prophetaverit.	2.	14.	24.
Bellum à Judæis, & Hæreticis impugnatum.	18.	1.	234.
Bellum ad quod jus pertineat.	18.	2.	235.
Belli juſti aſſignantur cauſæ.	18.	3.	236.
Bellum defenſivum non deſtruit leges naturæ.	18.	12.	241.
Bellum, qui juſtè movet, quarè Juſtitiam ſervare dicatur.	18.	13.	242.
Bellum non repugnat Legi Scriptæ.	18.	14.	242.
Nec Legi Evangelicæ.	18.	15.	243.
Bellum non ideò damnabile, quià ex eo oriantur mala.	18.	16.	245.

C

	Lect.	Num.	Pag.
CApitis influxus anatomicè demonſtratur.	8.	1.	83.
Caput quaſſare ſignum animi irati, & aliquem ſpernentis.	23.	2.	299.
Caput demittere, & flectere apud veteres ſignum erat humilitatis, & pœnitentiæ.	23.	3.	300.
Capita quare denudamus occurrentes ſalutaturi.	23.	9.	307.
Chriſti nomen & virtus oleum eſt mirabiliter in omnes effuſum.	8.	7.	89.
Chriſti nomen cur à Sponſa appelletur oleum effuſum.	8.	10.	93.
Chriſti nominis hebraica etimologia.		ibidem	
Chriſti preces omnes ſervitutis umbram depellunt.	11.	6.	117.
Chriſti preces ad patrem interpoſitæ ejus miſericordiam oſtendunt.	11.	11.	125.
Chriſti vita bonorum operum exemplar.	11.	8.	122.
Chriſti interceſſoris majeſtas propugnatur.	11.	12.	126.
Chriſti oratio petentis, ut tranſiret Calix, qualis fuerit.	11.	16.	136.
Chriſti Sanguinem pro omnibus profuſum, quam conſtanter aſſeruerit Auguſtinus.	13.	10.	176.

Digitized by Google

	Lect.	Num.	Pag.
Chriſti paſſionis meditatio efficax remedium ad curanda conſcientiæ vulnera.	19.	3.	257.
Chriſti vulnera foramina petræ.	19.	4.	257.
Chriſti vulnera ad depellendum omnem timorem nos invitant.	19.	6.	260.
Chriſti Sepulchrum glorioſum.	24.	10.	330.
In Chriſto myſticà petrà ſecurum præſidium nobis præparatur.	19.	2.	256.
Chriſtus verus Meſſias eſt ſemen nobis relictum ad ſalutem.	10.	3.	106.
Chriſtum oraſſe Sacræ paginæ docent.	11.	2.	115.
Chriſtus orans ſuam majeſtatem retinuit.	10.	5. & 7.	116. & 120.
Chriſtus rogavit ut filius, rogavit ut hæres, non petens aliena, ſed ſua, non ſibi, ſed nobis.	11.	9.	123.
Chriſtus oravit ſciens ſe exaudiri.	11.	10.	24.
Chriſtus non ſolum carnem, & animam, ſed etiàm animæ affectus ſuſcepit.	11.	14.	129.
Chriſtus innocens pro peccatoribus, juſtus pro injuſtis oblatus admirabili divinæ ſapientiæ, & juſtitiæ artificio.	12.	5.	144.
Chriſtus offerendo ſe pro reis miſericordiam cum Juſtitià coniunxit.	12.	6.	146.
Chriſtus quamvis omnia acceperit à patre, patri tamen pleniſſimè ſatisfecit.	12.	11.	152.
Chriſtus pro omnibus ſe obtulit æterno Patri.	13.	1.	157.
Chriſtus ſicùt omnium aſſumpſit naturam, ità pro omnibus eſt mortuus.	13.	4.	163.
Cilices olim, quàm fuerint potentes.	21.	3.	276.
Cinguli uſus varius apud veteres.	16.	6.	213.
Collum denotat obedientiam.	23.	2.	299.
Colli elatio jactantiam ſignificat.	23.	2.	299.
Conſilium quomodò diſtinguatur à præcepto.	18.	19.	248.
Cordis varia officia.	8.	2.	84.
Cordis mæror undè.	8.	3.	85.
Creatio hominis ad ſimilitudinem Dei maximum beneficium.	4.	2.	26.
Creaturæ reprehendunt peccatores, & contrà ipſos armantur.	3.	8.	42.
Culpa flamma eſt quocumque incendio atrocior.	5.	6.	55.

Daniel

D

	Lect.	Num.	Pag.
Daniel de omnibus Regnis, ac præcipuè de Regno Chriſti prophetavit.	2.	15.	30.
Decalvare verticem erat Servum facere.	23.	9.	310.
Delictum maximum Deum derelinquere, ſine quo vivere non poſſis.	6.	5.	65.
Deum amare, atque imitari tenemur.	4.	2.	48.
Deus miſericordiam exercet, quando punit.	7.	3.	70.
Indignatur verò, quando non punit.	ibidem.		
Deus maximè iraſcitur, cum non iraſcitur.	7.	7.	73.
Deus valdè deteſtatur eos, qui munera accipiunt.	15.	3.	197.
Deus Homo ſolus pro hominibus Mediator, ac Sacerdos.	12.	1.	139.
Deus Homo ſolus effudit ſuper Domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem Spiritum gratiæ, & precum.	24.	12.	333.
Diabolus ſub figura avis circumvolitantis exprimitur.	19.	4.	257.
Dies noviſſimus qualis ſit juxtà Sacram Scripturam.	16.	2.	206.
Diſcriminalia, quæ eſſent, & eorum uſus.	23.	19.	314.
Doctrina Chriſtiana extraordinariè introducta, & propagata.	17.	5.	230.

E

	Lect.	Num.	Pag.
Eccleſia Catholica prædita Spiritu Prophetiæ.	1.	14.	15.
Eccleſia Chriſti excellentior, & ſublimior Synagogà.	17.	2.	225.
Eccleſia quamvis incæperit ab exordio Mundi, optimè tamen dicitur præparata in noviſſimis diebus.	16.	3.	207.
Eccleſia ſapientèr operatur dum vetat dari fidem viſionibus à ſe non approbatis.	1.	8.	10.
Eccleſia ſublimis eminentià capitis.	17.	1.	222.
Eccleſiæ Sanctitas aſſeritur.	17.	3.	226.
Eccleſiæ ſublimitas ob eminentiam Doctrinæ.	17.	4.	229.

Digitized by Google

	Lect.	Num.	Pag.
Euniamorum error.	11.	3.	115.
Effectus, qui prædicuntur, ſolent prædicentibus attribui.	8.	9.	92.
Ezechiel undè oriundus, ubi ſepultus, & quàm obſcura ejus oracula.	2.	13.	29.
Extaſis, quid ſit.	1.	2.	4.
Quatuor modi, quibus Extaſis ſolet accidere.	1.	3.	4.

F

	Lect.	Num.	Pag.
FAſciæ variè adhibebantur.	16.	7.	213.
Felicis, & Elipandi error.	11.	3.	115.
Feræ beneficiis manſueſcunr.	4.	1.	46.
Figurarum multa exempla in Divinis ſcripturis.	3.	4.	37.
Flagella divina indicium amoris.	7.	6.	73.
Flagelli ſubtractio ſummum ſupplicium.	7.	2.	69.
Fontes prædicti à Zaccharia in ablutionem peccatoris.	24.	11.	331.

H

	Lect.	Num.	Pag.
HAbacuc, quandò vixerit, quid geſſerit.	2.	11.	28.
Herinacei proprietas.	19.	5.	258.
Herinaceis, qui comparentur.	ibidem.		
Herbæ lactariæ proprietas.	20.	3.	265.
Homo Deo debet eſſe, conſervationem, & omnia vitæ commoda.	4.	2.	47.
Hyſſopi qualitas, ſpecies.	24.	3.	322.

I

	Lect.	Num.	Pag.
JEremias quo tempore cœperit prophetare. Hjeronymi de eodem teſtimonium, quid de illo ſentiant auctores, & àn fuerit Propheta Judæorum, & Gentilium.	2.	12.	28.
Inſpiratio quid ſit.	1.	2.	3.
Joannes cur appellatus pluſquàm Propheta, cur numeretur intèr Prophetas, cùm Chriſtum viderit præſentem	1.	16	17.

	Lect.	Num.	Pag.
Joel quid, & quo tempore prophetaverit.	2.	4.	24.
Jonas quo tempore vixerit, & variæ de ejuſdem patriâ opiniones.	2.	5.	25.
Iſaias cur primus numeretur ab Eccleſiâ inter Prophetas, ejus nomen, patria, & laudes.	2.	1.	21.
ejus auctoritas quanta.	2.	2.	23.
Judæi, homineſque ingrati cur quacumque ferâ peiores reputentur.	4.	1.	46.
Judæi à Deo puniti non tàm fame naturali, quàm ſpirituali, nempè ſapientiæ, & Verbi Dei.	22.	3.	287.
Judæi quibus ablutionibus uterentur antè dirutum templum, & poſt.	24.	6.	325.
Juſti in tropologico ſenſu nomine Cœli intelliguntur.	3.	5.	39.
cur dicantur Cœlum.	3.	7.	41.
Juſtitiæ leges, quàm ſervatæ etiàm juſto moriente tàm in ordine ad Deum, tàm in ordine ad ipſum juſtum.	2.	7., & 8.	147. & 149.
Juſtitiam malè adminiſtrabit, qui amat aliena.	15.	4.	199.
Juſtitia offenditur non tàm per pecuniam, quàm per aliqua alia munera.	15.	5.	206.

L

	Lect.	Num.	Pag.
Lapis ille, qui Dan. Cap. 11. dicitur abſciſſus ſinè manibus, quid ſignificet.	16.	10.	219.
Lex cur dicatur duraſſe uſque ad Joannem.	1.	17.	18.
Longitudo, Latitudo, ſublimitas, & profundum, quid myſtice ſignificent.	13.	6.	167.
Lumbos præcingere ad quam conſuetudinem refeatur.	16.	5.	212.
Lunulæ, quæ fuerint.	23.	13.	309.

Ma-

M

	Lect.	Num.	Pag.
Malachias, cur Angelus dictus, antiqua de eo opinio, & quanta de Chriſto prænunciaverit.	2.	18.	31.
Metaphoræ quatuor modi ex Sacris litteris.	3.	3.	36.
Metonymia quomodò uſurpetur in Sacris litteris.	3.	2.	36.
Micheas, ſub quibus Regibus floruerit.	2.	8.	26.
Miſericordia divina oleum eſt in omnes diffuſum.	8.	6.	87.
Mitra pro quocumque capitis operimento uſurpatur.	23.	17.	312.
Mitra recenſebatur inter Sacerdotalia indumenta; pro Cidari Perſarum, & pro Tiara.	23.	18.	313.
Mortis meditatio præſidium adverſus pericula.	20.	1.	264.
Munera non debent accipi ab adminiſtratoribus Juſtitiæ.	15.	1.	194.
Munus ab obſequio, munus à manu, munus à lingua quid ſint.	15.	5.	200.
Murenulæ quid ſint.	23.	16.	312.
Mutatoria, quæ veſtes eſſent.	23.	22.	315.

N

	Lect.	Num.	Pag.
Nahum Jonæ ſucceſſor, quid prædixerit.	2.	9.	27.
Neptuni fabula ex Japetho à Gentilibus deſumpta.	21.	2.	275.

O

	Lect.	Num.	Pag.
Oculi indices animi.	23.	6.	302.
Oculi ſummâ diligentiâ cuſtodiendi.	23.	7.	303.
Ocularis aſpectus varietate, cur varia fiat affectuum concitatio.	23.	6.	302.
Oculorum nutus laſcivi meritò damnantur.	23.	4.	301.
Oculorum duo officia, unum flere, alterum videre.	23.	4.	301.
Oculis attribuuntur omnia vitia, quæ animo imputan-			

	Lect.	Num.	Pag.
tantur.	23.	8.	304.
Oculus laqueus in Sacrâ Scripturâ appellatur.	23.	8.	304.
Olei unctiones apud veteres uſu receptæ: axiomata Hippocratis, & Galeni de ipſis unctionibus.	8.	5.	87.
Oraculum quid ſit.	1.	2.	3.
Orandi modus duplex unus ſervilis, alter liberalis.	11.	4.	116.
Oſſa Joſephi aſportata à Judæis ex Ægypto erant illis ſpeculum, quo actiones componerent.	20.	6.	270.
Oſee, cur ita dictus, ubi natus, & quandò prophetaverit.	2.	3.	24.

P

	Lect.	Num.	Pag.
Paſſio Chriſti figuratè expreſſa à D. Paulo ad Epheſ. Cap. 3.	13.	6.	166.
Pater æternus Unigenitum ſuum Filium dedit pro omnibus tàm juſtis, quàm injuſtis.	13.	2.	158.
Peccatores in tropologico ſenſu nomine terræ intelliguntur.	3.	5.	39.
Cur appellentur terra.	3.	6.	40.
Peccatorem eſſe ſumma miſeria, & deplorabilis ſtatus.	5.	1.	51.
Peccatoris magna infelicitas, & quantùm ille timere debeat.	5.	7.	57.
Peccatorum flagella ipſa peccata.	5.	2.	52.
Peccatum eſt miſerrima à Deo defectio.	6.	6.	66.
Peccatum, & impœnitentia omnium malorum fons.	9.	2.	97.
Peccatum interni diſſidii cauſa, monſtrum terribile, peſtis pernicioſa, mors, ſepulchrum.	5.	3.	53.
Eſt etiàm infernus inferno profundior.	5.	4.	54.
Peccatum ipſum magnum ſupplicium eſt, etiàmſi non indè puniamur.	5.	6.	56.
Peccata duplici de cauſa dicuntur gravia.	6.	1.	59.
Periſcelis etimologia.	23.	20.	314.
Pileus libertatis ſignum, undè concedebatur manumiſſis.	23.	9.	307.

Digitized by Google

	Lect.	Num.	Pag.
Pileus, quare ſculptus in numiſmate Bruti.	23.	10.	308.
Populus aliquandò appellatur gravis numero peccatorum.	6.	2.	60.
Præcepta antiqua, quare dicantur non bona.	14.	6.	190.
Præceptum quomodò diſtinguatur à conſilio.	18.	19.	248.
Prædictiones mali futuri aliquam conditionem ſemper involuunt, & circà juſtos, & circà peccatores.	9.	3.	98.
Principes caput ſunt populi, adeoquè multa ſunt illis neceſſaria ad bonum regimen.	8.	1.	82.
Profundum, quid myſticè ſignificet.	13.	7.	167.
Prophetia, quid ſit.	1.	2.	3.
Prophetia eſſe donum Dei quomodo probatur.	1.	7.	9.
Prophetiæ cur dicantur duraſſe uſque ad Joannem.	1.	17.	18.
Prophetæ cur Videntes appellati.	1.	1.	2.
Prophetæ quantam ſpem reponebant in Chriſtum venturum.	24.	17.	338.
Prophetica oracula ſapientum doctrinis antiquiora.	2.	19.	32.
Proſopopeja quid ſit, & ejus exempla.	3.	2.	35.
Pueri non tàm ſunt, qui ætate, ſed etiàm, qui prudentià carent.	22.	5.	290.
Pueri innocentes meritò viri appellantur.	22.	6.	291.

R

	Lect.	Num.	Pag.
RAptus, quid ſit.	1.	2.	4.
Reginæ Sabæ nomen proprium.	21.	6.	280.
Regum Ethiopiæ opinio de origine ſuà.	21.	6.	280.
Revelatio quid ſit.	1.	2.	2.
Revelationes quomodò probari poſſunt.	1.	9. uſq. ad 13.	10.
Robur panis, & aquæ quid in Sacris literis ſignificet.	22.	2.	286.

S

	Lect.	Num.	Pag.
Sacerdotes cor myſtici corporis.	8.	2.	83.
Sacerdotis duo munera orare, & offerre.	11.	1.	114.
Sacrificia Prophetarum teſtimoniis quo ſenſu reprobata.	14.	1.	180., & ſeqq.
Sacrificia interiora primariò à Deo præcepta.	14.	4.	186.
Sacrificia olim peragebantur in montibus.	16.	8.	215.
Salomonis claſſis àn navigaverit in loca ſubjecta dominio Reginæ Sabæ.	21.	6.	280.
Salomonis claſſem, non videtur improbabile, navigaſſe in aliquam Urbem Ethiopiæ.	21.	7.	281.
Sanguis Chriſti meliùs loquitur, quàm Sanguis Abel.	13.	1.	157.
Satisfactionis leges quales ſint.	12.	3.	141.
Scriptura divina fons perennis, à quo ſanctitas, & eloquentia hauriri poteſt.	3.	1.	34.
Scriptura ſacra liber eſt ſcriptus intùs, & foris.	16.	1.	204.
Semen nequam quid denotet.	6.	3.	61.
Quare fugiendum.	6.	4.	63.
Sepulchra quare monimenta à veteribus appellata.	20.	2.	265.
Sepulchri meditatio excitat à ſomno vitiorum.	20.	5.	269.
Sepulchrum afflictis ſolatium, malè viventibus frænum eſt.	20.	7.	272.
Servus, ſi ex voluntate Domini pileum ſumpſiſſet, manumiſſus reputabatur.	23.	12.	309.
Societas bonorum hominum utilis.	10.	1.	102.
Improborum pernicioſa.	10.	2.	105.
Somnium, quid ſit.	1.	2.	3.
Sophonias, de quibus vaticinatus ſit.	2.	10.	27.
Sublimitas, quid myſticè ſignificet.	13.	7.	167.
Sudor Sanguineus, & triſtitiæ, & fortitudinis ſignum.	11.	17.	134.
Superbia moralitèr plaga tumens dicitur.	8.	6.	87.
Strophium variè adhibebatur.	16.	7.	213.

Digitized by Google

T

	Lect.	Num.	Pag.
Tau littera, expreſſio Crucis Salvatoris.	24.	9.	328.
Teriſtrum veſtis erat æſtiva.	23.	22.	315.
Tharſis nomen variè adhibitum in Sacris litteris.	21.	1.	274.
Tharſis nomen ſubſtituitur loco potentis, celebriſque regionis.	21.	4.	275.
Tharſis Indiam eſſe non leves coniecturæ ſuadent.	21.	5.	278.
Timoris varii effectus.	8.	1.	84.
Togæ cinctura triplex.	16.	7.	213.
Torques, quid ſit.	23.	14.	310.

V

	Lect.	Num.	Pag.
Victimæ quomodò præceptæ, & quomodò reprobatæ.	14.	2.	181.
Vir immeritò dicitur, qui deſerit Juſtitiam.	22.	6.	291.
Viri effœminati non tàm qui fœminas amant, quàm qui eorum ornatum imitantur.	22.	7.	293.
Viſio alia corporalis, alia imaginaria, alia intellectualis, & alia Symbolica.	1.	4.	5.
Viſionis Symbolicæ exempla.	1.	5.	6.
Viſiones quomodò probari poſſunt.	1.	9. uſq. ad 13.	10.
Viſionem fieri per extromiſſionem radiorum, & poſſe aliquorum oculos obiecta faſcinare, veterum fuit opinio.	23.	5.	301.
Vittarum uſus varius apud antiquos.	23.	21.	305.
Vocatio Gentium unum ex ſeptem ſigillis.	16.	1.	204.

Z

	Lect.	Num.	Pag.
Zaccariæ argumentum non diverſum ab Aggæo, ejus tamèn dicta prolixiora, & obſcuriora.	2.	17.	31.
Zona multiplex apud veteres.	16.	6.	213.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5646221

Digitized by Google

Digitized by Google

005646221
Digitized by Google